





SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)
3 Aug. 1882.



SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE,

Titus Maccius

CONTINENS

PLAUTI PSEUDOLUM,

ADNOTATIONE INSTRUCTUM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS
HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Pieter

PETRUS ROMEIJN,

E PAGO ZEVENHUIJZEN HOLLANDUS.

AD DIEM XXI JUNII MDCCCXXXVI, HORA XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

DAVENTRIAE,
APUD J. DE LANGE,
MDCCCXXXVI.

PRAEFATIO.

Quamvis hoc specimen Academicum in lucem emittens, non laudem quaesivi, sed reprehensionem vitavi, ingenii tamen mediocritatis doctrinaeque conscius, angor animo et sollicitus sum de judicio virorum doctorum, timens ne rudis maxime et exilis haec mea exercitatio videatur. Excusationem tamen quamdam hoc habet, si lectores profectam illam esse benevole meminerint a juvene, eoque dudum destituto Praeceptorum institutione et consiliis, unde alii in disciplinis summopere proficiunt. Cogitent velim, quotidie aliis curis districto mihi omne tempus in haec studia impendere non licuisse, remotumque me vixisse a literarum adminiculis, quae Academia Leidensis suppeditare solet. Haud levi contra, gratus praedico, mihi adjumento fuerunt subsidia Bibliothecae Illustris Athenaei Daventriensis: prae omnibus laetum evenit, quod in usus meos vertere licuit Plauti

editionem, a Rob. Stephano anno 1536 Paris. curatam, quam hucusque a viris doctis nihili habitam, ac paene neglectam fuisse vehementer miror; hanc nimirum, in Mss. et reliquarum editionum turbis et discrepantia, saepissime lectionem plurimis acceptam tueri cognovi, haud raro quoque solam exhibentem, quod verissimum videbatur; atque ita quidem, ut palam esset, non a Stephano novatum, sed e libris scriptis esse petitum (1). *Saepius inprimis sociam se adjungit Codici Acad. Lugd. Bat., quocum fere conspirat, ubicumque solus ille meliora promit. Codex iste, cujus tractandi benigne mihi facultas data est, forma maxima omnes Plauti fabulas complectitur, truncus tamen ab initio et in fine, de quo jam in praef. editionis suae Gronovium dixisse video. Reliqui 4 Plauti Mss. in Bibliotheca L. B. adservati, cum priores fere fabulas exhibent, in adornando Pseudolo mihi usui non fuerunt.*

Horum autem accurate conferendorum eidem viro clar., quamvis post optimos Camerarianos hos facile in secundo pretio esse existimanti, per trepidationem ac tumultum coepto jam opere, prelis sine intermissione moventibus, otium defuit, ita ut inde a Mercatore, in quo de-

---

(1) Fortasse ex antiquissimo illo qui Parisiis adservatur cujusque auxilio in adparanda Plauti editione uti non licuisse, vehementer dolet Bothius Praef. p. 11. —

mum Membranis Acad. uti coepit, (2) *parcissime illum hos inspexisse videamus. Minime itaque contemnendam accessionem huic specimini fore arbitratus sum, si in Pseudolo diligenter enotarem, atque textui subjicerem, quaecumque a reliquis Mss. discedens Codex nova afferret: ne manifesta quidem a librariorum incuria profecta vitia recipere aspernatus sum, quoniam in Plauto praecipue valere existimo, quod dudum pronunciaverunt viri docti, quam maxime scilicet depravatam scripturam veri indagandi viam haud semel ostendisse.*

Si quis me rogat, qua re inductus, in Pseudolo potissimum interpretando operam meam posuerim, haec praecipue causa fuit, quod, cum fabulam illam e festivissimis Plauti judicarem, qui, ut videtur, omnes ingenii vires in illa conficienda intenderat (4), *eademque adeo teste Cicerone* (5) *maximopere gaudebat; tali fabulae peculiaris interpres nondum obtigerat, quales tamen Amphitryonem, Aulularium, Cap-*

---

(2) Quod ipse monuit ad Merc. 1. 1. 16.

(3) Cf. Ruhnk. in praef. Appul. Oudend. p. X. et, quos laudat Fischerus, (in praef. edit. Platonis Eutyphr. etc. edit. tert. p. VIII) Hemsterh. ad Arist. Plut. praef. p. XIV et Piers. ad Moer. Attic. praef. p. XX.

(4) Siquidem recte intellexi huj. fab. I. 5. 155 sqq. ubi vid. quae dicta sunt.

(5) De Senect. 14 Cato haec: *Quam gaudebat bello suo Punico Naevius; quam Truculento Plautus, quam Pseudolo.*

tivos saepius, deinde Mostellariam, Menaechmos, Militem Glor., Rudentem, Trinummum jam pridem invenisse videbam.

In condenda hac fabula exemplum Graecum secutum esse Plautum, quamquam non diserte monemur; multa tamen adsunt vestigia Graeca, adest inprimis ratio Grammatica, quae nos dubitare non sinit: ex quo vero poëta expressa sit, incertum; solent indicare hoc prologi; sed Pseudoli intercedit, exceptis duobus postremis versibus, confectis, ut apparet, in usum repetitae fabulae actionis: nam Pseudolum non tantum saepius actam fuisse novimus ex Cicerone (6), *qao spectante Roscius Ballionis partes egerat, sed de aliis quoque in prologis luculenta testimonia habemus.*

Superest, ut paucula proloquar de institutione hujus speciminis, deque consilio, quod mihi in eo informando proposuerim.

In textu constituendo, ut, quod sequerer, haberem exemplum, usus sum editione Gronovii anni 1669, a qua, tamquam a magni nominis critico profecta, tironi discedere haudquaquam licere arbitratus sum: semel tantum vel bis, ubi contra Mss auctoritatem intrusam voculam expuli, quoniam lectio librorum loco melius consulere videtur, in notulis diligenter monui; quod etiam factum paucis aliis locis, ubi eosdem se-

(6) In orat. pro Rosc. Com. 7.

cutus, alias personas apposui, quam que vulgo apponi solent. Hic illic quoque pravam distinctionem, erroribus typographicis maximam partem tribuendam, emendare conatus sum.

Ceterum in adjectis notulis ea mihi lex fuit, ut, quae ab interpretibus recte exposita viderem, intacta relinquerem, de difficilioribus tantum paucis agens, quae etiam post doctas curas sua luce carere censebam. Codicum variantes lectiones potissimas indicavi, de quibus aliorum sententiam parce commemorans, nonnumquam meam addidi. Saepe tamen judicium cohibere malui, quam temere affirmare, quod ut juvenem certe minime decet, ita literis obesse potius, quam prodesse existimo. Interpretum palmarias quasdam conjecturas breviter recensui, rarissime meas proponere confidentia fuit. De re metrica difficillima illa quidam, et in Plauto propter corrupta exempla et mire turbatos versus vel inprimis ardua, dicere supersedi, praeterquam in Jambicis et Trochaicis octonariis, de quibus certiora afferri possunt.

Perlectis autem Plauti fabulis, plurima etiamnum superesse appariut in parte Grammatica, praecipue vero in critica, quae curam diligentiorem morantur, et multum abesse puto, ut Plautus nativo splendore clareat, qui dudum aliis est restitutus. Quod vero cum confirmata aetas summaque doctrina vix efficere

valuerunt, mihi magis optandum quam sperandum videtur; uno metuendum, ne in multiplices errores inciderim, quos ut in specimine Academico mihi condonent aequi censores, rogo.

Haec praefatus, jam me convertere liceat ad vos, Praeceptores aestumatissimi, quorum singulari benevolentiae, humanitati, doctrinae, si quid in his studiis profeci, maximam partam acceptam fero. Utinam numquam ingrati animi accuser, sed semper eodem, quo nunç, ardore vestra in me bene merita praedicem, vestraeque institutionis diutina mihi maneat recordatio! Vos, ut monitis vestris consiliisque me juvare pergatis, etiam atque etiam rogo.

M. ACCII PLAUTI

PSEUDOLUS.

In omnibus Plauti fabulis unus, quod sciam, est Pseudolus, cujus didascaliam quamdam habeamus, ex eodem cod. Ambrosiano erutam, unde Maji curis alia quoque ejusdem poëtae inedita in lucem protracta sunt. P. 24 enim Plaut. fragm. ined. (1) Majus fabulae hanc inscriptionem grandioribus literis praefixam *videri* ait:

M. JUNIUS. M. FILENUS
B(IS) A(GUNT) M(E). (2)

quae quidem, quantumvis trunca, et ut videtur

(1) Osann, Anal. Crit. p. 218. Maji liber, qui Mediolani splendidissimo habitu prodiit, inscriptus est: *M. Acci Plauti fragmenta inedita, item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae, inventore Angelo Majo, Bibliothecae Ambr. A. LL. OR.*

(2) In promtu esse videtur, hic de Megalensibus vel Megale-

corrupta, non minimi momenti est existimanda, quia haec ipsa nos docet, Plauti fabulas antiquitus ejusmodi inscriptionibus non caruisse, sicuti nunc haud sine magno sane historiae literarum detrimento iisdem destitutae circumferuntur. Dolendum vero est, detecta hujus didascaliae vestigia tam levia esse et incerta, ut metuendum sit, ne potius in errorem inducant, quam in rectam viam nos sistant.

Haec tamen partim, partim sagacitatem suam ducem secutus reliquias illas in integrum restituere aggressus est doct. Windischmann, *Rhein. Mus. für Phil.* 1 Jahrg. 1 Heft p. 110, quod an prospere ei cesserit, in re tam dubia pronunciare non audeo. Epigrapham ex conjectura, Niebuhrio probata, sic explet et emendat:

(Tib. Cl. Asellus), M. Junius, M. Fil. Penus, (Aediles ple)bis.

De duabus reliquis notis, quas Majus literis uncis inclusis supplere conatus est, incertum se esse fatetur vir doctus.

Horum autem Aedilitas incidit in A. U. C. 550, quo anno, teste Livio XXIX. 11., ludi plebeji septies instaurati fuerunt.

---

siis cogitare, quibus quatuor Terentianas non ita diu post Plauti aevum actas fuisse videmus: cf. Nieb. Röm. Gesch. Tom. III p. 49 not. 72. Magnam Matrem enim inde ab A. U. C. 547 Romae cultam fuisse novimus.

Verum donec certiora quaedam allata sint, et quam accuratissime descripta, tutissimum est, paucioribus literis, quas Majus in palimpsesto sibi deprehendisse videtur, non nimium tribuere, nec fundamentis tam exilibus frustra aedificium superstruere.



DRAMATIS PERSONAE.

Pseudolus, servus.
Calidorus, adolescens.
Ballio, leno.
Lorarii quatuor.
Simo, } senes.
Callipho, } senes.
Harpax, cacula.
Charinus, adolescens.
Puer.
Coquus.
Simia, sycophanta.
Phoenicium, meretrix.

Res agitur Athenis.

ARGUMENTUM PRISCIANI.

(ut quibusdam videtur).

Praesentes numerat quindecim miles minas:
*S*imul consignat symbolum, ut Phoenicium
*E*i det leno, qui eum cum reliquo afferat.
*V*enientem caculam intervortit symbolo,
*D*icens Syrum se Ballionis, Pseudolus:
*O*pemque herili ita tetulit: nam Simiae

5. *se tabellionem Ps.* 6. *tulit.* 8. *rem palam cognoscit.*

Vs. 2. *consignat symbolum*, quomodo hoc intelligendum, vide huj. fab. 1. 1. 53 sqq.; 4. 6. 30 et 4. 7. 104 sq. — *Symbolum.* Quibus differant inter se *symbolum* et *symbola*, multis persecutus est Casaub. ad Athen. III. 31 p. 224, multique alii: cff. intt. ad Bacch. 2. 3. 29, et Epid. 1. 2. 22. Quod discrimen non adtendens Muller ad Cic. de Orat. II. 57, *collectam* Graecum *σύμβολον* esse ait.

Vs. 3. *reliquo.* *Reliquum* vel *reliqua* per excellentiam dicuntur, quae rationibus subductis, acceptis expensisque computatis, debita remanent: cff. Gron. Lectt. Plaut. p. 63, et ad Capt. prol. 16.

Vs. 6. *herili*, pro *herili filio*, parum Latine dici credo; desidero simile exemplum. Dubium tamen videri possit, utrum ab ipso Grammatico profectum sit, an librario imputandum. Ille versum forte ita scripsit:

Opemque hero ille ita tulit. Nam Simiae

Herus enim recte pro *heri filio* dicitur, ipso Plau-

**Leno mulierem, quem is supposuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palam cognoscitur:
Senexque argentum, quod erat pactus, reddidit.**

ALIUD ARGUMENTUM.

**Calidorus *scortum juvenis Phoenicium*
Etflictim deperibat nummorum indigus.**

to auctore, sicuti *dominus* pro *domini filio*, Capt. Prol. 18. *Tetulit* pro *tulit* contra Mss. et vett. editt. inductum esse putat Bothius ab illis, qui nescirent, *ita* saepius ultima producta venire. Quam ob rem alii ediderunt: *Opemque herili is ita tulit* etc.

Alterum hoc argumentum Majus, qui primus edidit, putat esse confectum a quodam Plauti interpretum, a Gellio N. A. III. 3 memoratorum. Repertum est illud quoque in cod. Ambrosiano, vetustissimo atque praestantissimo, minoribus tamen rudioribusque literis scriptum. Osann, Anal. Crit. p. 217, asserit, tum scribendi, tum numerorum genus satis indicare, esse antiquum: quod vir. cl. dictum in paucis versibus non adeo valere arbitror. Qui enim Plauti morem tenent, facile sermonis illi peculiaris imaginem exprimunt, praecipue in conficiendo argumento, ad quod verba ex ipsa fabula peti solent.

Vs. 1. Sicuti Majus hunc versum resarsit, metrum non constat. Legendum puto:

Eandem miles, qui viginti mulierem
Minis mercatus abiit, absolvit quindecim.
Scortum reliquit ad lenonem ac symbolum:
Ut, qui attulisset signum simile cetero
Cum pretio, secum aveheret emptam mulierem.
Mox missus ad praehendendum scortu'a milite,
Venit calator militaris. Hunc ***artibus***
Adgreditur adulescentis servus seudulus,
Tamquam lenonis atriensis. Symbolum
Aufert. Minas quinque acceptas mutuas
Dat subditicio caculae cum symbolo.

Calidorus adulescens scortum Phoenicium

Vs. 4. *abiit:* Osann. recte *abit*, suadente metro.

Vs. 8. *ad praehendendum:* Cd. Ambros. *adpraehendit*, quod ferri non potest. Forte scriptum fuit: *ad petendum*, vel *ad repetendum.*

Vs. 9. *artibus*, rationi metricae melius consulit *dolis.* — Pro *seudulus* legendum esse *Pseudulus* vel *Pseudolus*, nemo non videt: similiter versu 15.

Vs. 12. *aufert*, Cd. *adfert.* Corrigit Osann. Anal. Crit. p. 217: *Symbolum*

Adfert, minasque quinque acceptas mutuas

omnia dans calatori: verum sic aliud exit, quam quod in fabula legitur: non enim calator, sed Pseudolus mutuam acceperat pecuniam: cf. 2, 4, 42 sqq. Lubens arripio *minasque*, ut numeri restituantur versui; malim tamen post *seudulus* plenissime distinguere, ut sententia deinceps sic decurrat:

Tamquam lenonis atriensis symbolum
Aufert; minasque etc.

Lenonem fallit sycophantacie cacula.
15. Scorto Calidorus potitur vivo seudulo.

PROLOGUS.

Studete hodie mihi, bona in scenam affero:
Nam bona bonis ferri reor aequom maxume,

Vs. 14. *sycophantacie:* auctor videtur scripsisse *sycophantia*, Osann. l. l. vel *sycophanta*, ut adjectum *cie* male iteratae syllabae seq. originem debere dicamus.

Vs. 15. *Vivo seudulo:* ineptum hoc. Majus suspicatus est: *astu* vel *fraude Pseudoli.* Osann: *servo Pseudolo:* quod sane male Latine pro: *per servum Pseudolum.* Forte melius erit: *salvo Pseudolo*, ut dicat, impune dolos suos machinatos esse Pseudolum, atque herum tetigisse: quod si rejicias, *vivo* ita erit accipiendum, ut saepe apud Plautum, et in notissima illa formula: *me vivo atque vidente, ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.*

Hujus prologi ultimos duos versus tantum habent plurimi Mss., in iis codex Ambros: ceteros ingenio Plautino plane indignos judicant ad unum omnes interpretes. Ne antiquos quidem censet Osann. Anal. Crit. Pag. 148, postremos versus partem novi prologi esse existimans, in usum repetitae fabulae actionis ab histrione aliove interpolatore confecti.

Vs. 2 — 10. Quamquam ejusmodi lusu delectatur

Ut mala malis : ut, qui mali sunt, habeant mala,
Qui boni, bona ; bonos quod oderint mali,
Sunt mali : malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet ; vosque ideo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos, et lege et legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus est, et hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient saturi.
In scenam qui jejunus venerit, aut sitiens,
Is risu et ventre raso vigilabit sedulo :

Plautus, atque in hacce maxime fabula se ipse superasse in eo videtur, haec tamen jejuna ejusdem verbi repetitio, planeque puerilis argumentatio minime illi imputanda. Poen. 5, 4, 44 sine dubio huius facetiae exemplum praebuit.

Vs. 8. *fugitare* pro *fugare* apud bonae notae scriptores nusquam invenitur. — *Successis bonis :* multa verba neutra hanc formam passivam recipiunt, et quidem ejusdem significationis, cujus ipsa sunt neutra. Hoc videtur dixisse: *bonos successisse malis, qui fugati erant.*

Vs. 13. *ventre raso: rasum* dicit ventrem, pro *inanem*, in *risu* et *raso* paronomasiam quamdam venatus: more enim Plautino prologorum auctores tales joculos studiose sectari solent, vitia poëtae exaucta ubique nobis oggerentes, cum virtutes sermonis repraesentare arduum erat. Quid sit *vigilare ventre*

Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc si sapitis, cedite jejuni, atque discedite.
Vos saturi state, imo sedete, atque attendite:
Non argumentum, neque huius nomen fabulae
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus.
· *Satis id dictum vobis puto iam atque deputo.*
Ubi lepos, ioci, risus, vinum, ebrietas decent,
Gratiae, decor, hilaritas, atque delectatio,
Qui quaerit alta, is malum videtur quaerere.
Curas malas abjicite iam, ut otiosi hodie.
Exporgi meliu'st lumbos, atque exsurgier:
Plautina longa fabula in scenam venit.

raso, vide apud Barth. Adv. XXXII. 20. De spectatoribus saturis cf. Poen. Prol. vs. 6 sqq.

Vs. 14. *mordebunt. Mordere* hic i. q. Mil. I, 1, 34 *dentire:* proprie quidem illud est ὀδοντοφυεῖν, dentes primum emittere; attamen dicitur etiam de esurientibus, qui dentes inter se committunt, illisque crepitant canum ringentium more, quando cibi aliquid comminuere gestiunt: cff. Gron. Lectt. Pl. p. 219.

Vs. 22. *alta, is.* Nonnulli malunt: *alia, is* vel *alia his.* Nisi placeat Lambini interpretatio vulgatae, corrigendum certe est: *alia, is* etc., quam tamen lectionem parum idonea ratione firmat Bothius.

Vs. 24. *exporgi lumbos:* i. e. *extendi, explicari.* Apud Ter. Adelph. 5, 3, 53 *exporge frontem* est explica frontem, praebe te hilarem. Nota porro *exsurgier* verbum intransitivum passive usurpatum. *Exporrigere* et *exsurgere lumbos*, pro *abire:* cf. Epid. extr.

ACTUS PRIMI SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS, CALIDORUS.

Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quae miseriae te tam misere macerant,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, et tui respondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit, ut te rogitem: responde mihi,
Quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consilii quemquam facis?
Eloquere, ut quod ego nescio, id tecum sciam.
CA. Misere miser sum, Pseudole! PS. Id te Juppiter
Prohibessit. CA. Nihil hoc Jovis ad judicium attinet:
Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.

2. *miseria — macerat.* 4. *mei interrogandi.*

Vs. 1—4. De usu pronominum in his versibus egit Gell. N. A. XX. 6: *labori mei*, pro *meo*, syntaxis Graeca, quam innumeris locis Latine exprimere Plautum videmus. Possessivum contra pro personali est Most 1. 3. 123:

Maxumaque adeo pars vostrorum intelligit,

ubi vide Vossium. Similem constructionem attigit Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 24.

Vs. 13. *sub Veneris regno vapulo*: Iuvenes virgi-

PS. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.
CA. Idem animus nunc est. PS. Fac me certum, quid tibi est.
Iuvabo aut re, aut opera, aut consilio bono.
CA. Cape has tabellas, tute hinc narrato tibi,
Quae me miseria et cura contabefacit.
PS. Mos tibi geretur: sed quid hoc, quaeso? CA. Quid est?
PS. Ut opinor, quaerunt literae hae sibi liberos,

16. *tibi sit.* 18. *tabbellas tute. hinc narrabo t.*

nesque sub Veneris se esse imperio arbitrabantur. *Vapulare* pro *miserum esse* saepius occurrit apud Comicos. Curc. 4, 4, 12.

Vapulare ego te vehementer jubeo.

i. q. Graeci: *οἴμωζε*, *κλαίειν μακρὰν σε κελεύω*: cf. Scal. ad Fest. i. v. *Vapula*: Hor. Sat. I, 10, 91, *plorare jubeo.* Sic *vapula* pro *plora*, *peri*: Ter. Phorm. 5, 6, 10, ubi vide Bentl. Est fere servorum significantium, se herorum aliorumve minas parum curare.

Vs. 21. *liberos quaerunt*, phrasis honestissima, significans consilium matrimonii: Gron. Lectt. Pl. p. 78. Quod inprimis videre licet ex Gell. N. A. IV. 3. in causa divortii Carviliani: cf. Fest., in v. *quaesere*: Briss. de form. VI. p. 517. Unde Augustus senile quoddam conjugium injustum pronunciavit, virumque dotem retinere vetuit, quia non creandorum liberorum causa intercesserat: Valer. Max. VII. 7. 4 laud. a Lips. ad Tac. Ann. XI. 27, qui egregie multa ad illustrandam hanc formulam congessit.

Alia aliam scandit. CA. Ludis me ludo tuo.
PS. Has quidem pol, credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretari alium potesse neminem.
CA. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
PS. An obsecro hercle, habent quoque gallinae manus?
Nam has quidem gallina scripsit. CA. Odiosus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. PS. Imo enim pellegam:
Advortito animum. CA. Non adest. PS. At tu cita.
CA. Imo ego tacebo, tu hinc ex cera cita:
Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.
PS. Tuam amicam video, Calidore. CA. Ubi ea est, obsecro?
PS. Eccam in tabellis porrectam: in cera cubat.
CA. At te dii deaeque quantus es. PS. Servassint quidem.

26. abest *lepidis*. 27. *habentque. g. m.* 35. *quantu'st.*

Vs. 23. *Sibylla legerit.* Sic Mart. X, 21.

Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.

Ter. And. 1, 2, 23. *Davus sum, non Oedipus*, et similia.

Vs. 35. *quantus es.* Auctoritate cd. Acad. forte recipiendum *quantu'st*, vel *quantum est*, supple *perduint*, quod in his fabulis usitatissimum: vid. Aul. 4, 10, 55; hujus fab. 1, 5, 121. Poen. 1, 3, 22, et apud Terent. passim; significat *quotquot sunt.* Sic *quidquid* dicitur pro *quicumque* apud Horat. Epod.

Quasi solstitialis herba, paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.
PS. Tace, dum tabellas pellego. CA. Ergo quin legis?
PS. Phoenicium Calidoro amatori suo
Per ceram et linum literasque interpretes
Salutem mittit, et salutem abs te expetit
Lacrumans, titubanti animo, corde, et pectore.
CA. Perii! salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illi remittam. PS. Quam salutem? CA. Argenteam.
PS. Pro lignean' salute vis argenteam
Remittere illi? vide sis, quam tu rem geras.
CA. Recita modo: ex tabellis iam faxo scies,

45. *pro lignea.*

V. 1. *O deorum quidquid in coelo regit.* Vulgatum parum frequens.

Vs. 36. *solstitialis herba:* cff. Lectt. Plaut. a. h. l. *De herba et morbo solstitiali* exstat peculiaris disputatio Schmiederi in Misc. Lips. Tom. I.

Vs. 40. *Ceram et linum.* Perperam Lipsius, *ceram et lignum:* cf. Cic. Cat. III. 5, ubi vide Muret. et Graev.

Vs. 42. *titubanti animo*, i. e. *animo incerto*, *inops consilii*, ἀπορῶν. Senec. Med. 937.

Quid, anime, titubas? ora quid lacrymae rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit?

Cf. infra ad 2. 4. 75. Ut *vacillare*, sic et *titubare* proprie de pedibus usurpatur, et peculiare est ebriis. Ceterum lectu dignissima est animadversio Bothii ad

Quam subito argento mihi usus invento siet.
PS. Leno me peregre militi Macedonico
Minis viginti vendidit, voluptas mea:
Et priusquam hinc abiit, quindecim miles minas
Dederat, nunc unae quinque remorantur minae.
Ea causa miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
Haec praestituta est, proxuma Dionysia.

Prol. Amph. 149 de interserenda litera *d* ad vitandas vocales collidentes.

Vs. 49. *peregre — vendidit* jungenda sunt; hoc enim dicit: vendidit me, ut in regionem peregrinam abducar. *Peregre* et *peregri* non videntur promiscue usurpanda: nam *peregre* apud Plautum semper est accus., ut regula valere dici possit, *peregri* in loco, *peregre* ad locum significare. Vid. Periz. in App. ad Sanct. Min. I. 18. p. 238, et IV. 4. p. 750. Qui contrariam opinionem tueri videntur loci Plautini, sunt dubiae lectionis.

Vs. 57. *dies haec praestituta est*, etc.: plane insolenter *haec dies* de futuro usurpatur, et sequentia respicit, cum maxime in ipsa hac fabula bis de praesenti dicitur, 1. 3. 140, et 2. 2. 28. Optime tamen sic junguntur *haec dies*, *proxuma Dionysia*, quoniam Mil. 2. 3. 2 ipse Plautus dixit:

Certo edepol scio me vidisse hic proxumae viciniae
Philocomasium etc.

CA. Cras ea quidem sunt: prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxilii. PS. Sine pellegam.
CA. Sino, nam mihi videor eum ea fabularier:
Lege, dulce amarumque una nunc misces mihi.
PS. Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Jocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
Compressiones arctae amantum comparum,
Teneris labellis molles morsiunculae,
Papillarum horridularum oppressiunculae,
Harum voluptatum mihi omnium atque itidem tibi
Distractio, discidium, vasticies venit,
Nisi quae mihi in te'st aut tibi est in me salus.
Haec quae ego scivi, ut scires curavi omnia:
Nunc ego te experiar quid ames, quid simules. Vale.
CA. Est misere scriptum, Pseudole! PS. O miserrume!
CA. Quin fles? PS. Pumiceos oculos habeo: non queo

64. *arte amantium comparatae.*

Vs. 72. *misere scriptum — miserrume. Misere* et *miserrume* non eodem sensu accipienda sunt. Calidorus intelligit scriptum miseratione dignum, ad movendam misericordiam compositum. Pseudolus vero idem *miserrume* dicit, quasi *pessime scriptum*, sicuti vs. 28 significat, gallinam scripsisse has literas.

Vs. 73. *pumiceos oculos:* i. e. aridos. Aul. 2, 4, 18. senex avarus dicitur aeque aridus atque pumex: cf. Scal. ad Catalecta (Anthol. Lat. Lib. V Ep. 33. 7).

Lacrumam exorare ut exspuant unam modo.
CA. Quid ita? PS. Genus nostrum semper siccoculum fuit.
CA. Nihilne adjuvare me audes? PS. Quid faciam tibi? CA. Heu!
PS. Heu? id quidem *tibi* hercle, ne parsis, dabo.
CA. Miser sum, argentum nusquam invenio mutuom,
Pseudole. PS. Heu! CA. Neque intus nummus ullus est. PS. Eheu!
Ille abducturus est mulierem cras. PS. Eheu!
CA. Istoccine pacto me adjutas? PS. Do id quod mihi est:
Nam is mihi thesaurus jugis in nostra est domo.
CA. Actum hodie de me est. Sed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?
PS. Vix hercle opinor, si me opponam pignori.
Sed quid de drachma facere vis? CA. Restim volo
Mihi emere. PS. Quamobrem? CA. Quî me faciam pensilem.
Certum est mihi ante tenebras persequi tenebras.

80. *abvecturus.* 81. *adjuvas.* 83. *jam est de me.* 85. *etsi me.* 86. *quid una drachma.*

Vs. 87. *pensilem.* Porphyrio ad Horat. Serm. II. 2. 99. legit *pendulum*. Nostri tamen omnes vulgatum exhibent.

PS. Quis mihi igitur drachmam reddet, si dederim tibi?
An tu te ea caussa vis sciens suspendere,
Ut me defraudes drachma, si dederim tibi?
CA. Profecto nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
PS. Quid fles, cucule? vives. CA. Quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti siet,
Neque *cui* libellae spes sit usquam gentium.
PS. Ut literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras.
Verum ego te amantem, ne pave, non deseram.

96. *neque habere spes sit.*

Vs. 96. *libella* i. q. *libra* et *as*, teste Plinio, Hist. Nat. XXXIII, 13. Antiquitus etiam sic interpretabantur locum Cic. ad Att. VII, 2: *fecit palam te* (*heredem*) *ex libella, me ex teruncio:* quod jam repudiatum est a Gron. de Pec. Vet. p. 55, et 210 sqq., quem et de *libella* universe vide. Hic tamen, ut saepius de quovis minimo nummo dicitur. —

Vs. 99. *te probare postulas.* De usu et syntaxi verbi *postulare* apud Comicos vide Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 134, et J. F. Gron. ad Gell. N. A. IV. 1. fere med. In *lacrumis* et *drachmis* paronomasiam mihi deprehendere videor, qualibus tantopere studuisse Plautum videmus.

Spero, alicunde hodie me bona opera, aut hac mea
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Atque id futurum unde, unde dicam nescio,

102. *bona opera aut mala.* 104. *unde* ter repetitum.

Vs. 102. *bona opera aut hac mea.* Germanum hoc est, et vere Plautinum, quoniam jocus ἐξ ἀπροςδοκήτου inest, quos venari solet Plautus: *bonae operae* spectatores *malam* oppositam exspectant, et audiunt *hac mea;* lectio Cd. Academiae, et multorum aliorum igitur ex interpretatione fluxit. *Bona opera* est honesta aliqua ratio: quae si non succedat, inquit, utar hac mea, i. e. mala, fallaci, quam tu et vos omnes novistis: et ero, quod nomen meum indicat, vere Pseudolus. Omnis opera servilis ceteroquin in his fabulis et Terentianis vocatur mala, cum maxime filiis herilibus qua jure, qua injuria pecuniam suppeditare student: cf. Asin 3. 3. 144, Capt. 3. 5. 43.

Vs. 104. Cal. *Atque id futurum unde?* Ps. *Unde dicam nescio.* Sic scribendum videtur, non, ut vulgo, omnia Pseudolo tribuenda. Nonnulli *unde* ter repetunt, et scribunt *at* vel *atqui* pro *atque;* ut sic sonet versus: Cal. *At id futurum unde?* Ps. *Unde? unde dicam nescio:* sed non opus est tali emendatione, quae metro quoque contraria est. *Atque* enim apud Plautum et apud alios scriptores interdum pro *atqui* particula est adversativa: Bacch. 1, 1, 53; Cas. 2, 6, 12. Si vulgatum servatur, explicandum: *unde? — unde* etc., quasi jam secum deliberet, unde tandem sit inventurus: repetitio indicat difficultatem.

105. Nisi quia futurum est: ita supercilium salit.
CA. Utinam quae dicis, dictis facta suppetant!
PS. Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,

105. *qua* pro *nisi quia.*

Vs. 105. *nisi quia futurum est. Nisi* saepissime pro *sed:* cf. Gron. ad Men. Prol. 59, et Hott. ad Cic. pro Rosc. Amer. 35. Praesertim autem post *nescio*, *miror*, *incertus sum*, vel simile verbum, sequentibus fere particulis *quia* vel *ut*, quae pro sententia loci varie sunt supplendae: cff. hujus fab. 1, 5, 155 et 4, 6, 40; Pers. 4. 3. 76; Rud. 4. 3. 86; Stich. 1, 3, 112; Trin. 4, 2, 93; Truc. 4, 3, 12. Particulae h. l. sic explendae videntur: *unde futurum dicam nescio, sed scio, quod futurum est. Quia* saepius apud Plautum pro *quod*, et locis laud. fere pro *tantum.*

Vs. 106. *dictis facta suppetant:* Asin 1, 1, 41: *non suppetunt dictis data: suppetere* proprie est *succurrere*, *subvenire*, semper constructione intransitiva; hinc *suppetiae*, et notio hujus loci, *facta subsequantur dicta*, *cum iis conveniant.* Hujus fab. 1, 3, 100 *suppetat* est pro *eveniat*, *accidat*, *se praebeat*, *adsit:* vid. Gron. L. P. p. 152.

Vs. 107. *mea si commovi sacra. Commovere sacra* est alicui deo festum celebrare, qua occasione circumagebantur simulacra: *turbellas* (vid. Fest. i. v.) sq. vs. intelligendum de tumultu et turba eorum, qui talia sacra comitari solebant. At vide Gronov. fusius de hoc ritu disputantem, et exemplis illustrantem Obss. I. 15 extr.; Heyn. ad Virg. Aen. IV. 301.

Quo pacto et quantas soleam turbellas dare!
CA. In te nunc sunt omnes spes aetati meae.
PS. Satin' est, si hanc hodie mulierum efficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
CA. Satis, si futurum est. PS. Roga me viginti minas,
Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias.
Roga obsecro hercle; gestio promittere.
CA. Dabisne argenti mihi hodie viginti minas?
PS. Dabo, molestus nunc iam ne sis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, diço prius,
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.

114. *obsecro hercle* dantur Calidoro.

Vs. 108. *turbellas*, et *turbelas* utrumque recte dicitur: prius diminutivum est a *turba;* alterum a verbo *turbo* est derivatum, ut *querela*, *suadela*, *tutela*, *corruptela*, *candela*, et similia a verbis affinibus. Quoniam vero et hic, et Bacch. 4, 9, 134 in libris Mss. et editt. vett. legitur *turbellas*, non est satis causae, cur cum Meursio mutemus. *Turbare*, et *turbas turbare* vel *dare* sexcenties in his fabulis dicuntur servi, qui fallaciis suis omnia miscent, ut consilia sua exsequantur, dolose res turbulentas cient, et tricas astutas movent, quibus propositum tutius peragant.

Vs. 118. *tangam patrem:* de *tangere*, pro *decipere*, *fraudare*, *circumvenire*, cff. Gron. L. P. p. 161.

CA. Dii te mihi omnes servent. Verum si potes,
Pietatis caussa vel etiam matrem quoque.
PS. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.
CA. Oculum utrum, anne in aurem? PS. At hoc pervolgatum est minus.

119. abest *omnes*.

Vs. 119. *dii te mihi omnes servent:* commovetur statim Calidorus, et haeret audiens, Pseudolo in animo esse, etiam patrem circumvenire: sed amicam cogitans, mox inclamat: per pietatem et matrem quoque tangere licet. Jocus iterum ab inexspectato. Exspectamus enim: verum si potes, pietatis causa *patri meo parce:* sed addit: *vel et matrem tange.*

Vs. 121. *de istac re* etc.: quod ad hanc rem, utroque oculo obdormi, securus esto: cf. Ruhnk. ad Ter. Heaut. 2, 3, 101.

Vs. 122. *at hoc pervolgatum est minus:* pro *minus* Both. mavult *nimis*, dicens, non esse minus pervulgatum, in aurem utramvis conquiescere, sed in oculum utrumvis. Nihil omnino tamen mutandum: multum enim abest, ut semper observetur regula, a Grammaticis tradita, a Bothio repetita, *hic* semper proxima respicere, *ille* remotiora: dudum aliud docuerunt Graev. ad Cic. pro Rosc. Com. 2. Gronov. Obss. III, 16 extr. Duk. ad Flor. I, 26, 7, et IV, 2, 48. Hic tamem vocula *hoc* significat; *hoc meum*, quod dixi *in oculum*. Ut vero probe intelligamus, qualem joculum poëta sectatus sit, attulisse juvabit simile exemplum ex Bacch. 4. 9. 149 sq.

Nunc ne quis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pube praesenti in concione, omni populo,
Omnibus amicis, notisque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.
CA. St! tace obsecro hercle. PS. Quid negotii est? CA. Ostium
Lenonis crepuit. PS. Crura mavellem modo.
CA. Atque ipse egreditur penitus perjurum caput.

126. abest *in*.

Sed spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervulgatum est, nihil moror.

Vs. 124. *pube praesenti:* in multis editt. vett. verba transposita leguntur, procul dubio, ut metro consulatur. Both. tamen ad Aul. 108 — 111, *pube* vi sequentis duplicis consonae ultimam producere ait, quod pluribus exemplis firmat. *Pube praesenti*, quod Festus suo loco explicavit, mirum quam formulam redolet.

Vs. 129. *atque:* haec copula jungit sequentia cum iis, quae ante Pseudoli interpellationem dixerat Calidorus. Continua igitur oratione haec dixisse censendus est: ostium lenonis crepuit, atque ipse egreditur etc. — *penitus perjurum caput:* Pareus in antiquissimo suo legit *intus perjuri caput*, quod, auctore Acidalio Divin. in Pseud. c. 1 extr., fortasse amplectendum: nam *penitus perjurum* non placet: simile desidero exemplum. Frequentissime autem *intus* motum de loco notat: *perjuri caput*, sicuti *caput nequitiae*, apud Prop. II. 18. 86. Pro vulgato militat huj. fab. 1. 5. 31. ubi vide, quae e Servio attuli.

ACTUS PRIMI SCENA SECUNDA.

LENO, LORARII IV, PSEUDOLUS, CALIDORUS.

Exite, agite, ite ignavi, male habiti, et male conciliati,
Quorum nunquam quicquam quoiquam venit in mentem, ut recte faciant.
Quibus, nisi ad hoc exemplum experior, non potest usurpari usura.

2. abest *recto*. 3. *usura usurpari*.

Vs. 1. *male habiti:* intt. a. h. l. adde Gron. L. P. p. 12.

Vs. 3. *quibus nisi ad hoc exemplum* etc. Vox *quibus* quo referenda, non ita facile expeditu videtur. Certe verba: *non potest usurpari usura*, habere debent, quo jungantur: *quibus* igitur si etiam cum *experior* conjungitur, ut vulgo fit, necessario ad utrumque referendum est sententiae membrum. At *experiri*, ut h. l., significans: *vi cum aliquo contendere*, non recte ablativo jungitur, omisso *cum:* sine casu vero verbum sic optime in parenthesi stare potest: *nisi ad hoc exemplum experior. Experiri* enim in controversiis forensibus simpliciter dicitur pro *actione* vel *jure experiri:* tum vero etiam usurpatur pro *vi experiri*, sive ea vis est judicii civilis, sive armorum; evincunt Truc. 4. 2. 40.

Experiri sine. Ast. *immo opperire : vis ist experirier.* et Bacch. 5. 2. 49: vide ad utrumque locum intt.: cf. Briss. de V. S. i. v. *experiri*.

Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costae callent:
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribae,
Qui haec habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc est eorum opus;
Ut mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes.
At faciem cum aspicias eorum, haud mali videntur: opera fallunt.
Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omnes:
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis:
Ita ego vostra latera loris faciam, ut valide varia sint,
Ut ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri ante dixeram omnibus, dederamque eas provincias:
Verum ita vos estis perditi, negligentes, ingenio improbo,

5. abest *enim* — *flagricibae*. 8. *ad oves*. 9. *aspicies*. 14. *consuta tapetia*.

Vs. 12. *valide varia:* livore et vibicibus interstincta: vid. Lamb. ad Epid. 1, 1, 15; Gron. ad Ter. Eun. 4, 4, 16.

Officium vostrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati estis vos : vincite hoc duritia ergo atque me.
Huc vide sis , ut alias res agunt : hoc agite , hoc animum advortite :
Huc adhibete aures , quae ego loquar , plagigera genera hominum.
Nunquam edepol vostrum durius tergum erit , quam terginum hoc meum.
Quî nunc ? doletne ? hem , sic datur , si quis herum servos spernit.

18. *vincere hoc duricia tergi.* 22. *dolet.*

Vs. 17. *ut vos cogatis commonerier*, pro: ut cogatis, vos commoneri a me officii vestri: perquam insolens constructio, quales nisi in antiquissimis scriptoribus, vix reperias.

Vs. 18. *nempe :* non irridentis vel indignantis est hic, ut vult Both., sed est pro *namque*, quod ex eodem fonte fluxit: cf. Ev. Scheid. ad Sanct. Min. I. 18. p. 247.

Vs. 22. *sic datur :* formula est exsultantium poenasque ab inimico sumtas esse gratulantium. Apud Ter. quoque saepius legitur. — *quî nunc*, i. q. *quid nunc*, quod usitatius est, hic non est formula hominis in re subita consternati, secumque deliberantis, sicut alibi, sed h. l. et hujus fab. 5, 2, 29, est triumphantis, et sibi de prospero successu operae collocatae gratulantis.

Vs. 27. *quî minus :* i. e. *aliqua re minus :* cf. Merc. 4. 6. 9; Rud. 3. 4. 31 et 4. 3. 81.

Assistite omnes contra me, et quae loquor, advortite animum.
Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum aënum sit cito.
Te, cum securi, caudicali praeficio provinciae.
LO. At haec retunsa est. LE. Sine siet: itidem vos quoque estis plagis omnes.
Num quî minus ea gratia tamen omnium opera utor?
Tibi hoc praecipio, ut niteant aedes: habes quod facias: propera, abi intro.
Tu esto lectisterniator. Tu argentum eluito, idem exstruito.
Haec, cum ego a foro revortor, facite, ut offendam parata:
Vorsa, praesterga, strata, lautaque coctaque omnia uti sint:

29. *id exstruito.* 31. *praestersa.*

Vs. 31. *vorsa*, pro *versa* a *verrendo.* — *praesterga* habent nonnulli Mss. et editt. vett. Equidem recipiendum puto, quod Cd. Acad. praebet, *praestersa*, antiqua forma pro *praetersa*, (amant jungere literas *s* et *t* veteres, sicuti videmus in antiquis *stlis*, *stlocus*, *obstrudo*, alia; hodie quoque dicimus *abstuli*, *abstraho* etc.), i. q. *pertersa*, quam formam usitatiorem praefert Gronov. Nam in voculis *per* et *prae* fere semper turbarunt librarii: cf. ad vs. 49 huj. sc. et ad 1, 5, 77. — *coctaque:* nonnulli hoc expungere volunt, mutandum in *docta* vel *strocta* pro *structa*, quoniam

Nam mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant: satin' audis?
Magnifice volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse reantur.
Intro abite, atque haec cito celebrate, ne mora quae sit, cocus cum veniat,

35. abest *quae*.

mox addit leno, se coquos adducturum: *docta* tamen pro *elegantia*, *polita*, plane a sermone Plautino abhorret. Serv. ad Virg. Aen. I. 482 videtur legisse *unctaque*: totus versus tamen tantum mutatus a vulgato prodit, ut hunc ex Serviano vix agnoscamus. *Unctaque* vero non temere rejiciendum: non male enim quadrat ad ea, quae vs. sq. legimus. Vult leno omnia nitere natali suo, servos quoque ut se ungant jubet, quoniam decebat, omnes diem suum concelebrare. Pronunciare tamen in re dubia non audeo.

Vs. 35. *celebrate*. Verbum *celebrare*, sine ulla notione frequentiae vel facti alicujus solennis nude pro *curare*, *efficere*, numquam ponitur: nihilo magis opus est, notionem *velocitatis* ei obtrudere, ut praeeunte Nonio, alii maluerunt: nimirum, vs. 32 dixerat leno, omnes servos decere concelebrare diem suum natalem: quod non hoc vult, ut homines tam perditos cum summis viris exciperet, sed ut summis illis viris omnia verrerent, praetergerent, sternerent, etc.: hoc modo servi heri diem natalem celebraturi sunt: talem sibi animum esse, hoc versu manifesto pronunciat.

Mihi. Ego eo in macellum, ut piscium quicquid est, pretio praestinem.
I puere prae, ne quisquam pertundat crumenam cautio est.
Vel opperire: est quod domi dicere paene fui oblitus.
Auditin'? vobis, mulieres, hanc habeo edictionem:
Vos quae in mundiciis, molliciis, deliciisque aetatulam agitis,

Vs. 36. *piscium quicquid est:* fortasse hic quoque locus est animadversioni, quam legimus apud Ruhnk. ad Ter. Hec. 3, 5, 13, veteres scil. rem hoc modo extenuare solere. — *pretio praestinem:* de *praestinare* ct *destinare* pro *emere* cff. Gron. L. P. p. 150: *pretio* hic abundare videtur, ut *argento* Epid. 2. 2. 92: ex quibus adjectis forte conjicere licet, verba *praestinare* ct *destinare* simpliciter pro *emere* antiquissimis temporibus nondum in usu fuisse.

Vs. 37. *cautio est*, i. e. *cavendum est.* Metuit sectores zonarios, quorum lepida est descriptio Trin. 4, 2, 20. sqq. Nisi discrte causam adderet poëta, Theoph. *περί ἀπιστίας* inducero posset, ut aliam assignaremus prudentiae lenonis, puerum praeire jubentis: *τὸν ἄπιστον* enim dicit *τὸν παῖδα ἀκολουθοῦντα κελεύειν αὐτοῦ ὄπισθεν μὴ βαδίζειν, ἀλλ' ἔμπροσθεν, ἵνα φυλάττηται αὐτὸ, μὴ ἐν τῇ ὁδῷ ἀποδράσῃ.* —

Vs. 40. *mundiciis: mundiciae* sunt nitor, elegantia, in vestibus, supellectile etc. conspicua: hinc *munda*, Cist. 1, 1, 57 pro *nitida femina.* — *Aetatulam*, vitam mollem, voluptariam: cff. intt. ad Suet. Claud. 16.

Viris cum summis inclitae amicae : nunc ego scibo atque hodie experiar ,
Quae capiti,quae ventri operam det,quaeque suae rei , quae somno studeat ;
Quam libertam fore mihi credam , et quam venalem , hodie experiar.
Facite hodie , ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
Nam nisi penus annuus hodie convenit , cras populo prostituam vos.
Natalem scitis mihi diem esse hunc. Ubi isti sunt , quibus vos oculi estis ?
Quibus vitae , quibus delitiae estis ? quibus savia , mammilla , mellitae ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante aedis jam hic assint.
Cur ego vestem , aurum , atque ea quibus est vobis usui , praehibeo ? quid mihi

42. *capitis — ventris.* 46. abest *diem.* 47. *mamilla, mellita.* 48. *munigeruli.* 49 *cum mihi.*

Vs. 45. *penus annuus: penus* génere neutro usurpatum videmus huj. sc. vs. 91. De diversis hujus vocabuli generibus et declinationibus vide Serv. ad Virg. I. 704. Gell. N. A. IV. 1.

Vs. 47. *Mammilla* neminem interpretum video offendisse, praeter Bothium, qui recte emendat, *mammillae*, cum singul. num. ferri nequit. In edit. Steph. *suavia mellita ?*

Vs. 49. *praehibeo.* Nihil obstare videtur, quominus

50. Domi nisi malum vostra opera est hodie, improbae? vino modo cupidae estis:
Eo vos vostros panticesque adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus.

51. *pantices.*

aliquantillum metro detur, et hoc quoque loco scribatur *perhibeo:* in utroque enim Mss. vacillant: cf. Pers. 3. 3. 24; Asin. 1. 3. 36, ubi omnes, quos vidi, retinuerunt *perhibeas;* hic quoque Ms. et editt. nonnullae veteres exhibent *perhibeo*, nihil reluctante loci sententia, cum recte dicitur: *perhibere operam reip.* Cato apud Gell. III, 7; *alicui testimonium*, Varro, de R. R. II. 5. aliaque similia.

Vs. 51. Non esse mihi videtur, cur hic versus tentetur ab interpretibus: *que* quod in Cd. Acad. abest, post secundum verbum saepissime reperitur, praesertim tamen interposita praepositione: *adeo* certe difficillimum explicatu: satisfecisse autem mihi videor, si retulero verba Ruhnk. ad And. 2, 5, 4. » Vis, » quae est in hujus particulae usu sane eleganti, vix » potest uno verbo explicari, quod in omnia loca con» veniat, sentiturque facilius, quam exprimitur; in» terdum significat aliquam consequentiam, interdum » explicationi vel narrationi inservit." Boxhornio *usque adeo* corrigenti, nemo facile adsentietur: sic enim constructio prorsus esset anomala: interpretari forte licet *usque*, nisi simplicius sit: ideo vos *tantum* potatis. Cur *hic*, non *alibi*? quaerit Bothius: parum refert certe; refert tamen: *hic* est *in mea domo:* dum vos cum amicis vestris *alibi* pantices, (cf. Scal. ad Catal p. 230, in Anth. Lat. Lib. II. Ep.

Nunc adeo hoc factum est optumum, ut nomine quamque appellem suo;
Ne dictum esse actutum sibi quaepiam vostrarum mihi neget. Advortite animum cunctae.
Principio, Hedylium, tecum ago, quae amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maxumi acervi frumenti sunt domi:
Fac sis sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mihi, etiam familiae omni sit meae: atque adeo ut frumento affluam,
Ut civitas nomen mihi commutet, meque ut praedicet

246 vs. 31), intestina madefacitis, ego *hic* apud me, domi siccus sum, nihil accipio de vino isto.

Vs. 52. *factum optumum:* recte hoc ab intt. vindicatur, et quidem praecipue ope formulae, in edictis obviae, de qua vide intt. ad Poen. Prol. 16: sed instar omnium est Briss. de Form. III. 1.

Vs. 53. *quaepiam vostrarum*, cff. quae de usu pronominum dicta sunt ad I. 1. 1—4.

Vs. 55. *montes maxumi acervi:* sicuti versus vulgo legitur, metuo ut a Plauti manu sit: vox *acervi* vel etiam *maximi acervi* ex interpretatione orta, alia verba sede sua expulisse videntur: imo, nisi metrum vetaret, omnino ejiciendum censerem *acervi*, ipsius Plauti auctoritate, qui Epid. 1. 1. 78 *montes mali* dixit, Most. 2. 1. 5 *mali moeroris montem maxumum:* cf. Mil. 4. 2. 73, et Merc. 3. 4. 32.

Lenone ex Ballione regem Jasonem. CA. Audin' furcifer
Quae loquitur? satin' magnificus tibi videtur? PS. Pol iste,
Atque etiam malificus. Sed tace, atque hanc rem gere.
LE. Aeschrodora tu, quae amicos tibi habes lenonum aemulos,
Lanios, qui item ut nos jurando jure malo quaerunt rem, audi:

63. abest *jurando.* — *vide* pro *audi.*

Vs. 59. *regem Jasonem:* Lamb. mavult de Pherarum tyranno, quam de Argonauta accipere: recte, opinor, quoniam fabula Graeca, ex qua Plautus hoc expressit, forte scripta fuit regnante potentissimo illo tyranno, quem Timotheus Athenis hospitio excepit: Nep. Tim. 4. De eodem vide plura in Xenoph. Hell. VI. 4. extr. Diod. Sic. Lib. XV. p. 373, et in diss. inaug. *de Jasone Pheraeo*, auctore Leon. Hamming, Tr. ad Rhen. 1828. — *Ballione:* hujus improbissimi et perjurissimi lenonis bis mentionem facit Cic. in scriptis suis: Phil. II. 6, et pro Rosc. Com. 7., ubi Hottomannus hanc fabulam ceterarum omnium facile principem declarat. Et apud ipsum Ciceronem ejusdem laudatio exstat: nam de Senect. 14 Catonem inducit dicentem: *Quam gaudebat bello suo Punico Naevius; quam Truculento Plautus, quam Pseudolo!*

Vs. 63. *jurando jure malo.* Nisi vocabulum *jurando* hic accipere malis pro *jurejurando*, sicuti Cist. 2. 1. 26, gerundium est verbi *jurare:* nam *jure* non

Nisi carnaria tria grandia, tergoribus oneri uberi, hodie
Mihi erunt, cras te quasi Dircam olim, ut memorant, duo
Gnati Jovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium: id tibi
Profecto taurus fiet. PS. Nimis sermone hujus ira incendor.
Hunccine hic hominem pati colere juventutem Atticam?

64. *tria gravida.*

videtur construendum cum insolenter praecedente *jurando*, sed cum sq. *malo*. *Jurare jure malo* est *falsum jurare*, *pejerare*.

Laniorum genus haud scio utrum cunctis Romanis invisum exstitisse dicendum sit, an Plautum hoc odium privatim gessisse pronunciare debeam: hic certe illos eodem loco habet ac *lenones:* huj. fab. 1. 3. 97 *carnificum* vice funguntur: cf. Capt. 4. 2. 38, sqq. alibi. Sed ne sic quidem se commendare potest, quod conjecit Douza Capt. 3. 1. 15.

Vs. 65. *Dircam.* Sic saepius poëtae nomina Graeca terminatione Latina scribunt. Plautus habet *Circam*, *Penelopam*, etc. et apud Horat. Epod. 17. 17. in quibusdam editt. legitur: *volente Circa.*

Vs. 68. *colere*, pro *incolere*, *degere.* Veteres infinitivo uti solent in indignationibus et admirationibus, qui tamen pendet ab intellecto *incredibile est*, *mirandum est*, vel simile quid: cf. Gron. Obss. II. 14, et III, 9; Duk. ad Flor. I, 11. § 9.

Ubi sunt, ubi latent, quibus aetas integra est, qui amant a lenone?
Quin conveniunt, quin una omnes peste hac populum hunc liberant?
Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus: ne illi audeant
Id facere? quibus ut serviant suus amor cogit, simul
Prohibet, faciant advorsum eos quod volunt. CA. Vah, tace. PS. Quid est?
CA. Male morigerus male facis mihi, cum sermone huic obsonas. PS. Taceo.
CA. At taceas malo multo, quam tacere te dicas. LE. Tu autem

74. In Cd. Ambros. absunt *male morigerus.*

Vs. 69. *amant a lenone*, scil. puellas. Duplici modo explicari potest haec exquisita praepositionis constructio; uterque tamen eandem sententiam affert: *a lenone* vulgo interpretantur *e domo lenonis*, ut *a me* pro *ex aedibus meis*, et sic passim. Sed praepositio *a* apud Plautum et reliquos antiquos scriptores saepius per genitivum explicanda est, ut *amant a lenone* significet: *amant lenonis*, scil. puellas; de qua structura cum multos alios, tum vide Kortte ad Cic. ad Div. III. 13, init.: adde Cic. ad Att. IV, 3, 5, *reus a Milone*, pro *reus Milonis*, *accusante Milone.*

Vs. 74. *male morigerus es*, vel *facis mihi:* i. e. male obedis, parum morem mihi geris, odiosus es; vid. Curc. 1, 3, 13. Epid. 5, 1. 1.

Xystylis, fac ut animum advortas, quojus amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam.
Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur,
Te ipsam culleo ego eras faciam ut deportere in pergulam:
Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias,
Sed ubi usque ad languorem. Tenes quorsum haec tendant quae loquor?

76. *olivinam in domo.* 78. *hac hinc culleus olivi.* Cd. Ambros. *deportatum erit.*

Vs. 76. *olivi dynamin:* frustra nonnulli haec verba tentaverunt: *olivi* pro *olei* notissimum, et Graeca vox *dynamin* pro *vim*, *copiam*, neminem sane morabitur, memorem, Plautum innumeris locis sic vocabula Graeca vel integra, vel Latina inflexione sermoni interseruisse. Vide Muret. Var. Lect. I. 3., et Vechn. Hellen. I. 2.

Vs. 79. *Pergulam:* pergula est tabulatum, quod ex aedibus prominet. Hic non de ipsius lenonis pergula loqui videtur Plautus, sed de publica, ubi meretrices venales prostabant, quoniam culleo illuc deportanda est Xystylis, nisi dictis obsequatur. Contra sentit tamen Scal. in Castigatt. in Prop. IV. 5. 68. p. 225.

Vs. 81. *haec tendant:* solus Gron. omisit *se*, nescio, an Cd. Acad. auctoritate: nam teste Pareo in Anal. Plaut., Mss. habent: *quo se haecce tendant*,

En excetra tu, quae tibi amicos tot habes, tam probe oleo onustos,
Num quoipiam est hodie tua tuorum opera conservorum
Nitidiusculum caput? aut num ipse pulmento utor magis
Unctiusculo? sed scio, tu oleum haud magni pendis, vino te
Devincis: sine modo: reprehendam ego cuncta hercle una opera, nisi

83. *nunc etiam est hodie tuorum opera.* 84. *nitidissimum.*

vel *quo se haec tendant.* *Tendere* cum acc. haud infrequens: sic *tendere iter*, *cursum*, *gressum* apud Plaut. et Virg.

Nam qua se ad patriam tendebat semita limen.

in Ciri, 216. Sic plura verba neutra existimantur, nec sunt: vid. Sanct. Min. III. 3.

Vs. 82. *En excetra:* Majus in Cd. Ambros. vidit *ain' excetra*, quod unice verum: nam *ain' tu* apud Plaut. saepe est sermo increpantis ac acrius reprehendentis.

Vs. 84. *pulmento magis unctiusculo uti:* i. e. coenare lautius: contra apud Pers. Sat. 6. 16 *coenare sine uncto*, i. e. sine cibis delicatis, et bene conditis: vide Gron. L. P. p. 254.

Vs. 86. *devincis.* In Ms. Palat. scriptum primum fuerat *deungis*, postea vero (nescio an eadem manu?) mutatum in *devincis*. *Deungis* si minus dubia auctoritas tueretur, nec novum verbum esset, procul dubio vulgatae anteponendum esset, etiam ob praeco-

Quidem hodie tu omnia facis, scelesta, haec uti loquor.
Tu autem, quae pro capite argentum mihi jam jamque saepe numeras,
Ea pacisci modo scis: sed quae pacta es, non scis solvere.
Phoenicium, tibi haec ego loquor, deliciae summatum virum:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus affertur,
Cras Phoenicium phoenicio corio invises pergulam.

88. *mihi jamque.* 89. *sed quod — nescis solvere.*

dens *oleum*, ut sensus esset: oleum haud magni pendis, aliud unguentum magis amas, quo scil. pulmones deungas: sed omnes Mss. et editt. tenent *devincis*, quod contra virorum doctorum acumen aptissime defenditur duabus locutionibus persimilibus, altera apud Prop. III, 3, 43:

Me juvat et multo mentem vincire Lyaeo.

altera in Virg. Georg. II. 94.

Et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

Tum eadem usus metaphora Plautus Trin. 3, 2, 32 dixit: *vi veneris vinctus*, et saepius legimus de *vinctis somno.*

Vs. 92. *invises pergulam*, hunc morem scortorum in meritoriorum pergulas deducendorum copiose persequitur, et exemplis illustrat Barth. Adv. XLII. 17.

ACTUS PRIMI SCENA TERTIA.

CALIDORUS, PSEUDOLUS, BALLIO.

Pseudole, non audis quae hic loquitur? PS. Audio here quidem, atque animum advorto.
CA. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?
PS. Bene curassis: liquido es animo: ego pro me et pro te curabo.

3. Cd. Ambros. *nihil curassis.*

Vs. 1. *here quidem*, mirum ni Plautus scripsit: *hercle quidem*, vel *hercle equidem.*

Vs. 3. *bene curassis.* Majus e suo *nihil curassis*, cui originem debere existimo vulgatam ex interpretatione natam. Veteres enim praeter modum *εὐφημεῖν* gestientes, *optimus* pro *nullus*, *recte* pro *nihil* respondere consueverant interrogatiunculis vitae communis. Complura hujus moris vide exempla a Gronov. ad Capt. 2. 2. 104. collecta: cf. Bentl. ad Terent. Heaut. 3. 2. 7. Quomodo Graeci in eadem re, vide apud Kust. ad Arist. Ran. 508, Casaub. Lect. Theocr. c. 16. init.

Quibus nisi induci te patiaris ut credas, *bene* ex *nihil* depravatum esse, dicendum forte, ex diverso fonte manasse utramque lectionem. Diversa enim exemplaria nonnullarum fabularum exstitisse, haud absurdum est credere, quandoquidem fabulae actione saepius repetita, histrionum accedebat interpolatio, qua pro lubitu et commodo suo totos locos re-

Jam diu ego huic bene et hic mihi volumus, et amicitia est antiqua.
5. Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam et maturam.
CA. Quid opus est? PS. Potin' aliam rem ut cures?
CA. At. PS. Bat. CA. Crucior. PS. Cor dura.
CA. Non possum. PS. Fac possis. CA. Quonam pacto possim vincere animum?
PS. In rem quod sit praevortaris, quam re advorsa animo auscultes.

4. abest *ego.* 8. *q. sic p. q. rem adverso a.*

fingerent: cff. quae de causis interpolationum fabularum Plautinarum disputavit Osann. Anal. Crit. c. 8. p. 141 sqq. *Nihil*, quamquam hic vulgatae anteponendum videtur, (etiam ob Most. 2. 2. 93 et Poen. 3. 1. 50), haec tamen non plane est improbanda, minimeque mutanda, sicuti alii, ingenio nimis indulgentes, temere fecerunt: nam non pauci adsunt loci, et formulae, quae huic similes, lectionem, et Gronovii interpretationem egregie firmant: mox v. c. vs. 6: *potin', aliam rem ut cures:* Most. 2. 1. 49; Mil. 3. 3. 55, *alia cura*, ubi vide intt.; eadem fab. 4, 2, 96 Camer. legit *cura aliud;* sic etiam Cas. 3, 4, 23: sed instar omnium est Bacch. 4. 4. 99.

Vs. 6. *quid opus est? opus* non pro *necesse* accipiendum: cf. hujus fab. 4, 1, 36, et 5, 1, 24. — *bat:* ludit herum suum Pseudolus, atque per interpellationem *bat* jocose praecidit objectam quaestionem, incipientem per *at.*

Vs. 8. Egregie illustravit hunc versum Gron. *Aus-*

CA. Nugae istaec sunt: non jucundum est, nisi
amans facit stulte. PS. Pergin'?
CA. O Pseudole mi, sine sim nihili: mitte me sis.
PS. Sine, modo ego
Abeam. CA. Mane, mane: jam ut voles me esse,
ita ero. PS. Nunc tu sapis.
BA. It dies: ego mihi cesso. I prae, puere. CA.
heus, abiit: quin revocas?

10. abest *me*. — *sino*. 11. *ero ita*.

cultare animo est indulgere affectibus, pati se iis agitari, ut veteres nonnunquam *animum* deteriorem partem animi vocant, eam quae ministrat, non quae regit: cf. Ruhnk. ad Ter. And. 1, 1, 137, et ad Eun. 5. 6. 14. Ante *quam* omissum est *potius* vel *magis*, quod saepe abest. De *praevertere*, et *praeverti* vide Gron. L. P. p. 70.

Vs. 9. *nugae istaec sunt:* inepte seria declamas apud amatorem.

Vs. 10. *sine:* posterius *sine*, quod absolute sic positum permultis aliis locis minantis est, et malevolentis, eo sensu hic stare non potest: editt. vett., suffragante Cd. Acad., habent *sino*, quod unice verum existimo: reliqui Mss. fere dant *sine*. Hoc dicit Calidorus: sine me prae amore insanire, ineptias agere: *mitte me sis:* sine me stultitiae meae indulgere, stultitiam meam non curato, non respicito. Ad quod Pseudolus: sino, mitto, modo mihi liceat abire. Sic enim omnia optime congruunt.

Vs. 12. sqq. Turbant Mss. in affingendis personis: pro *abiit* Bothe vidit legendum esse *abit*. Sqq. *quin re-*

PS. Quid properas? placide. CA. At priusquam abeat.
BA. Quod hoc malum? tam placide is, puere.
Hodie nate heus, hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate, redi et
Respice ad nos, tametsi occupatus, moramur, mane: sunt colloqui
Qui volunt te. BA. Quid hoc est? quis est, qui moram occupato molestam obtulit?

13. *habeat.* 14. *placidus, p.* 15. absunt repetita *heus hodie nate.* 16. *est coll.*

vocas Pseudolo tribuenda: *quid properas? placide:* Calidoro dicit servus, nec lenoni, recte monente Lambino. Magis arduum fortasse erit persuadere, *quod hoc malum* danda esse Pseudolo, herum festinantem increpanti, quod non esset, cur hoc malum credat, lenonem abire. *Quod* pro *propter quod* vel *cur* usitatissimum in his fabulis: si contra eadem leno dicit, mihi quidem nullum sensum praebent. Denique quaecunque 15—17 Pseudolus usurpavit, Calidoro reddenda censeo: quippe quae non sunt servi superbi atque magnifici, sed adolescentis amore perciti atque inquieti.

Vs. 16. *occupatus*, rectissime contra Lambinum defenditur, egregie Plautinum illud mutantem, et legentem *occupatum.*

Vs. 17. *moram obtulit; offerri* dicuntur in utramque partem tam bona, quam mala, quaecumque exspectationem praeveniunt: cff. Donat. ad Ter. Hec. 3, 3, 10, et Westerh. ad Hec. 5, 1, 13.

CA. Qui tibi sospitalis fuit. BA. Mortuus est, qui fuit: qui est, vivos est.
PS. Nimis superbe. BA. Nimis molestus. CA. Reprehende hominem, assequere.
BA. I, puere. PS. Accedamus hac obviam. BA. Juppiter te perdat, quisquis es.
PS. Te volo. BA. At vos ego ambos. Vorte hac te, puere. PS. Non licet
Colloqui te? BA. At mihi non lubet. CA. Sin tuam est quippiam in rem? BA. licet -
Ne obsecro vivere, an non licet? PS. Vah, manta. BA. Omitte. CA. Ballio,

21. *vorte hic te.* 23. *vah, mane.*

Vs. 19. *reprehende*, retrahe, manum injice, manu injecta retine et revoca: vid. Trin. 3, 1, 23: *reprehendi* proprie servos fugitivos dici, notum est: cff. intt. ad Phaed. V, 8, 4.

Vs. 20. *accedamus:* frustra mutant *occedamus*, reluctantibus libris scriptis et edit.: utrumque Plauto familiare est.

Vs. 21. *te volo:* neque interpretes, neque lenonem fugit ambiguitas.

Vs. 23. *licetne vivere.* Lipsius conjecit *bitere* pro *ire.* Recte tamen explicatur: pergin' enicare me odio vestro et molestia? Captivorum hoc videtur, vitam ab hostibus petentium: cff. Liv. XL. 49: *quaesivit ab eo, ne sibi liceret ac suis vivere*, ubi perperam mutare videtur Gronov. *liberone:* Cic. pro Quint. 11. *huic tu molestus videlicet esse noluisti, quem nunc respirare libere non sinis?* et Ern. in

Audi. BA. Surdus sum: profecto inanilogus es. CA. Dedi, dum fuit.
Non peto quod dedisti. CA. Dabo, quando erit. BA. Ducito,
Quando habebis. CA. Heu heu, quam ego malis perdidi modis,
Quod tibi detuli et quod dedi! BA. Mortua re, verba nunc facis.
Stultus es, rem actam agis. PS. Nosce saltem hunc quis est. BA. Jam diu

25. *dicito.* 27. *mortuo verba n. f.*

clavo i. v. *respirare.* Magis usitatae sunt locutiones, *occidis me*, *enicas me.*

Vs. 27. *mortua re verba facis:* eodem modo *res* (*familiaris*) dicitur *animam agere*, Trin. 4, 3, 85 pro *interire.* Truc. 2, 1, 3:

Huic homini amanti mea hera apud nos dixit naeniam de bonis.

i. e. hujus bona ad nos elata, sepelivit hera mea. *Naeniam dicere* idem est, quod hoc loco *verba facere.* Poen. 4, 2. 18.

Nam is quidem illi — verba facit emortuo.

Sensus est igitur: nugaris, nam mortualia facis, (Asin. 4. 1. 63): inani luctu, naeniis ineptis, rem tuam mortuam prosequeris, sicut illi defunctos multo ploratu, nihil profuturo: cf. Bacch. 3. 4. 21; West. ad Ter. Phorm. 5, 8, 26. Bothius mavult: *mortuae re* (pro *rei*) *verba nunc facis*, sicut Poen. loco *verba facit emortuo:* sed, ut dictam sententiam eliciamus, non opus est quidquam mutare.

Scio qui fuit: nunc quis est is, ipsus sciat: ambula tu.
PS. Potin' ut semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias?
BA. Respiciam istoc pretio: nam si sacruficem summo Jovi,
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.
PS. Non potest pietate obsisti huic, ut res sunt ceterae!
Deos quidem, quos maxume aequom est metuere, eos minimi facit.
BA. Compellabo. Salve multum, serve Athenis pessume.
PS. Di te deaeque ament vel hujus arbitratu, vel meo:

29. *qui est is.* 32. *porrigam.* 34. *possunt pietati o.* 35. *quod m.* 37. *ut* pro *vel.*

Vs. 34. *Non potest pietate* etc. Serv. ad Virg. Aen. I. 382: *p. p. obsisti, sive ut res s. c.* Alii aliter haec verba interpretati sunt: alii dant Pseudolo, alii lenoni: accedo equidem ad sententiam Bothii, qui salva maxime Mss. auctoritate, *huic pietati obsisti non potest* sic exponit, ut leno prae re divina lucrum pietate prosequendum esse dicat. Malim tamen *ut res sunt ceterae* Pseudolo dare: nam servus dicit: ut novimus lenonem: dictum conveniens est ceteris rebus, ingenio et moribus hominis; vel Deos irridet et spernit.

Vs. 37. sensus est: Di te deaeque perinde ament,

Vel si dignus alio pacto, neque ament, neque faciant bene.
BA. Quid agitur, Calidore? PS. Amatur, atque egetur acriter.
BA. Misereat, si familiam alere possim misericordia.
PS. Eia scimus nos quidem te qualis sis: ne praedices.
Sed scin' quid nos volumus? BA. Pol ego propemodo: ut male sit mihi.
PS. Et id, et hoc quod te revocamus, quaeso animum advorte. BA. Audio:
Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer, quid velis.
PS. Hunc pudet quod tibi promisit, quaque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
BA. Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget:
Non dedisse, istum pudet: me, quia non accepi, piget.

38. *ut s. d.* 42. *probe modo.* 45. *heu pudet.*

ut ille te dignum judicat, vel ego, prouti nobis obsequeris et morem geris: sed si indignus es, neque ament, neque faciant bene.

Vs. 45. Pudet eum et promissi et diei, i. e. diu jam esse, cum promisit: pro *dies qua promisit*, dicit: *qua die promisit*.

PS. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modo:
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
BA. Fuit occasio, si vellet, jampridem argentum ut daret.
CA. Quid, si non habui? BA. Amabas? invenires mutuom,
Ad danistam devenires, adderes fenusculum,
Surripuisses patri. PS. Surriperet hic patri, audacissume?
Non periculum est, ne quid recte monstres. BA. Non lenonium est.

49. *p. aliquid h. d. maneat m.* 52. *jam habes* pro *amabas.* — *invenires tuum.*

49. Recepi, quam et Gron. editio habet, conjccturam Scioppii *aliquot.* Vulgo:

At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modo.

Camer. pro *aliquid* in suis libris legit *aliquod*, e quo suum videtur invenisse Scioppius; firmant Truc. 4. 4. 19. *hos dies aliquos;* Men. 5. 5. 47. *aliquos viginti dies;* huj. fab. 1. 1. 7. huj. sc. vs. 87. Men. 1. 1. 28.

Vs. 52. *amabas.* Mss. nonnulli et editt. *jam haberes*, quod forte amplectendum.

Vs. 53. *fenusculum*, non *foenusculum:* vid. Ruhnk. ad Ter. Phorm. 2, 1, 71.

Vs. 55. *non periculum est*, etc. Quare haec in omnibus editt. per interrogationem efferantur, non video: oratio recta enim multo concinniorem praebet sententiam: non metuendum est, ne tu leno bene quid monstres, suadeas.

CA. Egon' patri surripere possim quiçquam, tam cauto seni?
Atque adeo, si facere possem, pietas prohibet. BA. Audio.
Pietatem ergo istam amplexator noctu, pro Phoenicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo praevortere,
Omnes tibi patres sunt? nullus est tibi quem roges mutuum
Argentum? CA. Quin nomen quoque jam interiit Mutuum.
BA. Heus tu, postquam hercle isti a mensa surgunt saturi, poti,

59. *sed cum p.* — abest *tuo.* 62. *potiti;*

59. *praevortere*, intt. intelligunt *te:* male, credo: quamquam enim minus frequens est constructio: *pietas praevertit amori*, tamen non prorsus insolens: cf. Amph. 5, 1, 17. *herilis praevortit metus:* i. e. plus valet apud me, quam meus: eodem modo hoc loco: *quoniam video pietatem plus valere, quam amorem;* falli igitur videtur Gron. L. P. p. 70, passive dici existimans *praevertere alicui rei*, et locum nostrum vertens: *quoniam video pietatem praeverti*, sive *antehaberi amori.* Alterum, quod affert exemplum, Merc. 1, 2, 3 nihil huc pertinet.

Vs. 62. *a mensa surgunt*, etc.: de mensa argentariorum sermo est: de qua, ut de omni re trapezitarum doctissime egit Gron. L. P. p. 38. *Saturi*, *poti* ab hoc loco non prorsus aliena, ut visum est

Qui suum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores sunt, ne credant alteri.
CA. Nimis miser sum, nummum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo, et inopia argentaria.
BA. Eme die coeca hercle olivom, id vendito oculata die:
Jam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.

64. *nec reddant.* Ambros. Cd. *postilla omnes c. s.*
68. abest *hercle.*

interpr.: nam videtur significare poëta argentarios foro cedentes, pecunia credita probe saginatos et saburratos: cf. Curc. 3. vs. 7. sqq.

Habent hunc, morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, (debitum exigant) reddant nemini:
Pugnis rem solvant, si quis poscat clàrius.

Pers. 3. 3. 30.

Ubi quid credideris (argentariis), citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis cum emissu'st lepus.

Vs. 63. *nato nemini:* sic solet addere Plautus *natus*, fere pro *mortalis;* Amph. 2. 2. 203, *mortalis nemo:* cf. Cuper. Obss. III. 10. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 94. Egregie in edit. Steph. est:

Alienum reddunt nato nemini, qui suum repetunt
Ab alienis, cautiores etc.

Vulgata vix commode expediri potest.

CA. Perii! an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes. BA. Eadem est mihi lex, metuo credere.
PS. Credere autem? eho, an poenitet te, quanto hic fuerit usui?
BA. Non est usui quisquam amator, nisi qui perpetuat data,

71. *p. t. quam.* 72. *usui q. a.*

Vs. 69. *lex quina vicenaria* est lex Laetoria, sive, ut hodie fere scribitur, Plaetoria, (incertae aetatis) *de circumscriptione adolescentium*, qua cautum existimant, ne minor XXV annis pecuniam mutuam sumere, stipulari, imo universe se obligare posset: tum, ut qui talem dolo malo decepisset, judicio publico teneretur, et damnatus infamis haberetur: cff. Plaut. Rud. 5. 3. 24; Cic. de Off. III. 14 sq.; de Nat. Deor. III. 30.; Capit. in vit. M. Aurel. Anton. c. 10; fragm. duo ex Suet. servata a Prisc. Lib. VIII. p. 743 sq. edit. Putsch. Lipsius pro *vicenaria* mavult *vicennaria*, pro quo certe militat etymologia: sed veteres in omnibus secundum etymologiam locutos esse et scripsisse, non credibile est.

Vs. 71. *autem* in responsione, quae fit interrogando, habet vim indignandi: cf. Ter. Adelph. 5, 8, 11, ibique Ruhnk. — *poenitet:* i. e. parum videtur: Cic. de Off. I. 1. 3: *tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit:* cf. Heus. a. h. l.

Vs. 72. *non est usui quisquam amator.* Cd. Acad.

Datque usque: quando nihil sit, simul amare desinat.
CA. Nihilne te mei miseret? BA. Inanis cedis: dicta non sonant.
Atque ego te vivom salvomque vellem. PS. Eho, an jam mortuus est?
BA. Ut ut est; mihi quidem profecto cum istis dictis mortuus est.
Illico vixit amator, ubi lenoni placet.

74. *temet — inanis accedis.* 75. *eo an jam.*

auctoritate non dubitavi hanc conjecturam, quae male Lipsio tribuitur, recipere. Vid. Parcus in Anal. Plaut. a. h. l. Vulgo: *non est justus q. a.*

Vs. 73. *quando nihil sit:* insolens hoc est, atque excusationem non habet: fortasse legendum *fit:* cf. ad 2. 4. 24; saepissime enim in his voculis errarunt librarii, ut infra videbimus de *superfit* vel *supersit*, in quibus raro conspirant Mss. *Nihil fit* vel *nihili fit* optime convenit vs. 75 sqq.: nihili fiebat lenoni, vixerat Calidorus, simul ac dare desiisset. Parum absum, quin credam, lenonem ambiguum venatum esse, explicandum e Mil. 5. vs. 16. Initium versus perdito metro: *datque usque.* Bothius corrigit: *et dat usque:* vulgatam magis refert: *atque dat usque.*

Vs. 74. *inanis cedis*, accedis sine rationibus tinnulis: dicta non sonant. Cic. ad Att. XIV. 21 extr. *exspecto, ecquid Dolabella tinniat* (pro: *solvat pecuniam*), *an in meo nomine tabulas novas fecerit.*

Vs. 77. *placet:* Acid. Div. in Pseud. c. 3, ex ult. syllaba vocab. praec. repetens *ne*, conjecit *ne placet*,

Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia :
Nam istoc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. PS. Eho, an unquam tu hujus nupsisti patri?
BA. Dii melius faciant. PS. Fac hoc, quod te rogamus, Ballio,
Mea fide, si isti formidas credere : ego in hoc triduo
Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
BA. Tibi ego credam? PS. Cur non? BA. Quia pol, qua opera credam tibi,
Una opera alligem fugitivam canem agninis lactibus.

80. *eo nunquam.* 81. Cd. Ambros. *Di meliora faxint.*

quod et sententia et metrum postulant: cf. huj. sc. vs. 18, et Truc. 1. 2. 62 sqq. *Ne placet* antique pro *non placet*, sicuti *nescio* et apud Plautum *nevis*, *nevult*, et Most. 1. 2. 22 *ne parcunt*, pro *non parcunt*, ubi vide intt., qui perperam in usum adhibent Ter. Eun. 2. 3. 12 *quidne es alacris*, ubi vulgo recte *quidve.* Adde Rud. 3. 4. 26. *Vixit*, ultima producta, sicuti saepe syllabae finales *is*, *at*, *et*, *it*, sec. et tert. pers. verborum: vide Lindem. *de vetere Lat. ling. prosodia*, p. XI. Lingius, *de hiatu in vocibus Plautinis*, p. 46 sqq.

Vs. 85. Qui alligat canem fugitivam lactibus agninis, operam perdit, sic et qui tibi credit, frustra est.

CA. Siccine mihi abs te bene merenti male refertur gratia?
BA. Quid nunc vis? CA. Ut opperiare hos sex dies saltem modo,
Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. BA. Animo bono es:
Vel sex menses opperibor. CA. Euge, homo lepidissume.
BA. Immo vin' etiam te faciam ex laeto laetantem magis?
CA. Quid jam? BA. Quia enim non venalem habeo Phoenicium.
CA. Non habes? BA. Non hercle vero. CA. Pseudole, arcesse hostias,
Victimas, lanios, ut ego huic sacruficem summo Jovi;
Nam hic mihi nunc est multo potior Juppiter, quam Juppiter.
BA. Nolo victimas: agninis me extis placari volo.

88. *perdas me — bono a. e.* 95. *n. victimas: aut minimis m. exitis p. v.*

Epitheton *fugitivam* hic inprimis inservit comparationi magis aptandae, quoniam canis fugitiva comparatur cum servo, cujus officium est *aufugere:* cf. Asin. 2, 2, 113; Capt. 2, 1, 13; hujus fab. 4, 1, 9. Alii de re periculosa intelligere malunt.

Vs. 95. *agninis extis:* fluctuant Mss., fluctuant intt. Hoc certum videtur, *agninis* hic stare non posse. Ne omnes recenseam, qui de his verbis opinionem

CA. Propera, quid stas? arcesse agnos: audin' quid ait Iuppiter?
PS. Jam hic ero: verum extra portam Metiam currendum est prius.
CA. Quid eo? PS. Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero,

97. *p. mi etiam.* 99. *eadem domo — v. unde u. a.*

suam emiserunt, paucis referam unam Scaligeri interpretationem, plurimis acceptam. Sic jubentibus Mss., legit *minimis* atque exponit: *victimas*, i. e. *majores hostias* non vult leno, sed *minimis* vult placari, respiciens ad *minas* viginti, quas sibi litari malebat. Adolescens vero jocum non percipiens, arcessit *agnos*, utpote *minima exta.* Parvula mutatione malim ego, quod et in membranis legitur, *mininis*, adjectivum formatum a *mina*, ut a *capra*, *caprinus*, etc.: quod male elocuto lenone, vel male audiente Calidoro, arcessuntur *minima* exta, i. e. *agnina.* Minus ineptum enim puto, sic casu distinguere Calidorum majores inter et minores hostias, quam de industria lenonem. Quod alii habent, *at minis*, scil. *ovibus*, duplici sensu, Latini sermonis indoles ferre non videtur. —

Vs. 98. *cum tintinnabulis* eximie explicuit Gron. de instrumentis, quibus carnifices ornabant noxios. Pro *carnificibus* dixit *lanios* poëta, quasi victimarios, nec tamen, ut adjicit vir clar., pro hostiis essent greges virgarum ulmearum, vel virgae in fascem colligatae, quoniam ipse leno hostia erat futurus: sed

Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Jovi.
In malam crucem istic ibit Juppiter lenonius.
BA. Ex tua re non est, ut ego emoriar. PS. Qui dum? BA. Ego dicam tibi:
Quia edepol dum ego vivos vivam, nunquam eris frugi bonae.
PS. Ex tua re non est, ut ego emoriar. BA. Qui dum? PS. Sic, quia
Si ego emortuus sim, Athenis te sit nemo nequior.
CA. Dic mihi, obsecro hercle, verum serio, hoc quod te rogo:
Non habes venalem amicam tu meam Phoenicium?
BA. Non edepol habeo profecto; nam jampridem vendidi.

100. *satis.*

laniorum facta mentione, pro more Plautus aegre abstinet, quin greges quoque memoret, et in metaphora maneat.

Vs. 101. Notabilem distinctionem fecit Gruterus: Bal. *I in malam crucem:* Pseud. *istic.* etc.

Vs. 102. sqq. Sunt jactationes plebejae: gloriantur leno et Pseudolus sua malitia. Vivis, inquit, in malitia et ex malitia, ergo *frugi* fieri magnum erit damnum; me autem vivente nunquam a malitia tua discedes: nam semper habebis in me exemplum. Ad quod servus: ego te vinco malitia: itaque, si mortuus ero, tu, qui nunc es secundus, eris primus, et habebis neminem, a quo discas.

CA. Quomodo? BA. Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
CA. Meam tu amicam vendidisti? BA. Valde, viginti minis.
CA. Viginti minis? BA. Utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio: et jam quindecim habeo minas.
CA. Quid ego ex te audio? BA. Amicam tuam esse factam argenteam.
CA. Cur id ausus facere? BA. Libuit, mea fuit. CA. Eho, Pseudole,
I, gladium affer. PS. Quid opus gladio? CA. Quî hunc occidam, atque me.
PS. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames jam occiderit.
CA. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissume,
Juravistin' te illam nulli venditurum, nisi mihi?
BA. Fateor. CA. Nempe conceptis verbis. BA. Etiam consultis quoque.

117. *hominem.* 119. *e. consiliis q.*

Vs. 117. *quantum terra tegit:* in diversa abeunt intt. Scal. emendat *terram tegit;* alii aliter. *Terra tegit* est κεύθει, ἔχει, κατέχει: videtur Plautus voluisse: quotquot mortui sunt, unquam vixerunt. Mortui longe plures sunt, quam vivi: ergo jam propterea magis scelestus. Proverbii fere instar Poen. 1. 3. 22. dicitur: *quantum Acheronte'st mortuorum:* vide Burm. ad Prop. I. 6. 28.

Vs. 119. *nempe conceptis verbis: concipere* hic est

CA. **Perjuravisti, sceleste.** BA. **At argentum intro condidi.**
Ego scelestus nunc argentum promere possum domo:
Tu, qui pius es istoc genere gnatus, nummum non habes.
CA. **Pseudole, assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis.** PS. **Licet.**
Nunquam ad Praetorem aeque cursim curram, ut emittar manu.

120. *perjurasti.*

formula solenni comprehendere: jusjurandum conceptis verbis forte ita dicitur, ut distinguatur ab illis, quae sermoni quotidiano interponuntur, ut *mehercule*, *edepol*, *mecastor*, etc. Gron. L. P. p. 121. — *Etiam consultis quoque*, i. e. non tantum verba elocutus sum, pronunciavi, sed etiam perpendi; ex animi sententia juravi. Cic. de Off. Lib. III. 29: *Non enim falsum jurare, perjurare est; sed quod ex animi tui sententia jurâris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est:* ubi vide Heus. *Verba consulta*, sicut Gell. VI. extr. *operâ consultâ*, oppositum τῷ *forte*.

Vs. 122. *istoc genere gnatus:* irridet Calidoro leno, jactans, se quantumvis scelestum et vilem, nummis plus valere, quam adolescentem pium et honesto loco natum.

Vs. 123. *assiste altrinsecus:* cf. Merc. 5, 4, 16. sqq. — *Licet*, apud Plautum saepissime nihil nisi assensum notat: Most. 2, 1, 55; Rud. 4, 6, 8 sqq.

CA. Ingere mala multa. PS. Jam ego te differam dictis meis :
Impudice. BA. Ita est. PS. Sceleste. BA. Dicis vera. PS. Verbero.
BA. Quippini. CA. Bustirape. BA. Certe. CA. Furcifer. BA. Factum optume.
CA. Sociofraude. BA. Sunt mea haec ista. PS. Parricida. BA. Perge tu.
PS. Sacrilege. BA. Fateor. CA. Perjure. BA. Vetera vaticinamini.
Legirupa. BA. Valide. PS. Pernicies adolescentum. BA. Acerrume.

126. *dices verba.*

Vs. 125. *differam dictis meis:* differri clamore, maledictis, fama, est i. q. discerpi, lacerari, vexari. Eadem notione usurpant Graeci *ἐνδατεῖσθαι*: cff. Schol. ad Soph. Trach. 788: *ἐνδατούμενος. — λοιδορῶν, μεμφόμενος, κατὰ μέρος τῶν λεγομένων ἀνακαλῶν· ἐνδατεῖσθαι γὰρ τὸ μερίσασθαι*: vide Brunck. a. h. l. Idem quod h. l. *differre*, in his fabulis est *pipulo differre*, *clamare*, *ludos facere clamore*, *convicium vel flagitium facere*, *occentare.*

Vs. 127. *bustirape:* busta diripere piaculum erat: cff. intt. ad Catull. LX, ad Ter. Eun. 3. 2. 38; Guliclm. Verisim. III. 12.

Vs. 129. *vetera vaticinamini:* non sine oxymoro hoc dictum: sic et *divinare* de re praeterita, valet *verum dicere*, idque a deo inspiratum: cff. Donat. et West. ad Ter. Hec. 4, 4, 74: Plaut. Pers. 1, 2, 16.

Vs. 130. *legirupa* et *legirupio*, quae apud Plautum

CA. Fur. BA. Babae. PS. Fugitive. BA. Bombax. CA. Fraus populi. BA. Planissume.
PS. Fraudulente. CA. Impure leno. PS. Coenum. BA. Cantores probos!
CA. Verberavisti patrem atque matrem. BA. Atque occidi quoque,
Potius quam cibum praehiberem: num peccavi quippiam?
PS. In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
BA. Nunquid alium etiam voltis dicere? CA. Ecquid te pudet?

131. *fur.* Ba. *abi.* 136. *aliud vultis d.*

saepius de improbo quoque atque perjūro usurpantur, antiquitus proprie audiebant illi, qui mancipiorum legibus, i. e. conditionibus fraudem fecerant.

Vs. 136. *numquid alium.* In aliis libris Mss. *numquid aliud*, quod receptae tamen postponendum censeo, quippe quae multo exquisitiorem et aptiorem praebet sententiam: sensus est: num alium me etiam facere vultis? vel ex Taubm. interpr: num praeter cognomina, quae mihi fecistis, etiam aliud mihi facere vultis? *Numquid* pro *num* saepissime. *Alium dicere* fere est, quod Trin. 1, 2, 124 expressit:

verbis paucis quam cito
Alium fecisti me! alius ad te veneram.

Poen. Prol. 127. *alius nunc fieri volo* dicit histrio, qui alia persona in scenam prodire vult. Ceterum *numquid aliud* duplici modo explicari potest; vel est pro: numquid aliud convicium etiam vultis dicere,

BA. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem.
Sed quamquam multa, malaque in me dicta dixistis mihi,
Nisi mihi attulerit miles quinque, quas debet, minas,
Sicut haec est praestituta summa argento dies,
Si is non aderit, posse opinor facere officium *me* meum.
CA. Quid id est? BA. Si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium: ego, operae si sit, plus tecum loquar:

138. *mala quae me.* 141. *officium meum.*

quod sane prae recepta friget: vel accipi potest pro solita discedentium formula: sic tamen solitam illam formulam insolito utique more expressit. — *ecquid te pudet:* sic scribendum, non *ecqui*, quod in quibusdam Mss: cf. Poen. 5, 5, 26. Ter. And. 5, 2, 30.

Vs. 140. *summa dies*, i. e. *suprema:* Virg. Aen. II, 324.

Venit summa dies, et ineluctabile tempus.

Vs. 142. *cum illo perdiderim fidem:* sic *mutare fidem cum aliquo*, apud Ter.: *servare fidem cum hoste*, apud Cic. de Off. III, 29: *firmare fidem cum aliquo,* apud Liv. Plura exempla vide apud Gron. ad Terent. Phorm. 3, 2, 27.

Vs. 143. *operae si sit.* ***Est** operae*, et *opera est*, Merc. 1, 1, 14. apud Plautum et alios, pro: *vacat, commodum, utile est:*

Sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas.
Haec mea est sententia, ut tu hinc porro, quid agas, consulas.
CA. Jamne abis? BA. Negotii nunc sum plenus. PS. Paulo post magis.
Illic homo meus est: nisi omnes Di me atque homines deserunt,
Exossabo ego illum similiter itidem ut muraenam cocus.
Sed nunc, Calidore, operam te mihi volo dare. CA. Ecquid imperas?
PS. Hoc ego oppidum admoenire, ut hodie capiatur, volo.

146. abest *nunc*. 148. *exossuabo similiter e. i.*
149. *mihi te*.

Vs. 144. *frustra est:* vix alterum exemplum hujus locutionis, impersonaliter sic constructae, in Plauto reperias. Est, qui mavult: *frustra es*, quod forte amplectendum, quo quippe nihil apud Comicos frequentius; sensus est: falleris, quod tu putas (postulas), me tui misereri sine argento.

Vs. 147. *illic homo meus est:* sic fere solent pro: *meum mancipium est:* hinc lucutio fere proverbialis de eo, quem existimamus dolis nostris nos irretituros, vel jam irretivisse, ad vindictam deprehendisse: cf. Curc. 3, 1, 61; Mil. 2, 3, 63; hujus fab. 2, 2, 6, ubi versus fere integer recurrit, et 4, 7, 22. Diversum ab hoc *meum est*, quod apud comicos fere pro: *soleo*, *officii mei est*.

Ad eam rem usu'st hominem astutum, doctum, scitum, et callidum,
Qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat.
CA. Cedo mihi, quid es facturus? PS. Tempori ego faxo scies;
Nolo bis iterare: sat sic longae fiunt fabulae.
Optumum atque aequissumum oras. PS. Propera, adduc hominem cito.
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
CA. Ego scio istuc. PS. Ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus siet.
CA. Jam hic faxo aderit. PS. Potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

ACTUS PRIMI SCENA QUARTA.

PSEUDOLUS.

Postquam illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole:
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?

151. *usui es.* 152. *q. imperat haec facta r.* 155. *adhuc.* 157. *dilectum.* 159. *tibi morem geram.* 1. *Pseudolus.* 2. *heri filio.*

Vs. 159. *potin' ut abeas:* alii libri dant: *habeas*, quod haud scio an vulgatae sit anteponendum.

Vs. 3. *largitus dictis dapsilis. Largiri aliqua re* haud infrequens apud Plautum: cff. intt. a. h. l. *Dapsilus*, in quibusdam Mss. editur etiam Aul. 2. 1. 45,

Quoi neque parata gutta certi consilii,
Neque adeo argenti: neque nunc quid faciam scio;
Neque exordiri primum, unde occipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quasi poëta tabulas cum cepit sibi,
Quaerit quod nusquam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile, quod mendacium est:
Nunc ego poëta fiam: viginti minae,
Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic jam pridem me daturum dixeram:
At volui injicere tragulam in nostrum senem:
Verum is, nescio quo pacto, praesensit prius.

6. *habeas.* 7. *detexendum.* 8. *tabulas conceptas s.*

ubi vide Pareus in Anal. Alii minus recte, ut videtur, distinguunt: *postquam herili filio*
Largitus, dictis dapsilis?

Vs. 6. *exordiri*, verbum proprium arti texendi: cff. Gron. L. P. a. h. l. *Exorsa tela* passive habes Bacch. 2, 3, 116.

Vs. 13. *atque* interdum i. q. *ita ut*, *sicuti:* Bacch. 3. 6. 20. — *jam pridem dixeram*, etiam antequam resciverat, Phoenicium venditam esse, atque abductum iri.

Vs. 14. *at:* adversativa hac particula Pseudolus in arguenda negligentia sua se ipse interpellat, ut excusationem proferat: idem est, ac si rogasset: nonne autem in senem injicere tragulam volui? Verum ille praesensit. — *injicere tragulam.* Quid sit *tragula*, quid *tragulam injicere*, copiose docet Gronov. Lectt. Plaut. p. 105.

Sed comprimenda est mihi vox atque oratio:
Herum eccum video huc una Simonem simul
Cum suo vicino Caliphone incedere.
Ex hoc sepulchro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

16. *vox mihi.* 17. *Sim. u. s.*

Vs. 17. Pseudolus duos tantum incedentes videt, herum Simonem et vicinum: auctoritate igitur Cd. Acad. et ed. Steph. legendum: *Simonem, una simul* etc., ita postulante quoque metro.

Vs. 19. *ex hoc sepulcro minas effodiam.* Irridens senem, sepulcrum vocat, ex quo minas eruat. Sine dubio respicit morem poëta rerum pretiosarum in sepulcra condendarum, ex quo illustrandum forte etiam, quod legimus apud Ulpian. L. 3. § 8. de sep. viol.

Vs. 21. *sermonem legam:* i. e. *furabor, clam exaudiam.* Quodcumque legimus, nobis sumimus, nostrum facimus; hinc fortasse furtim nostrum facere, furari. Hor. Sat. I, 3, 117:

Et qui nocturnus divûm sacra legerit.

Auct. ad Herenn. II, 30, 49: *majus esse maleficium stuprare ingenuam, quam sacrum legere.* Hinc *sacrilegus.* Mil. 4, 2, 98 *sermonem sublegam*, i. q. Most. 5. 1. 15: *gustare ego ejus sermonem volo:* cf. vs. 25 eorum fragm., quae citantur ex fabulis Plauti amissis, quarum ne nomina quidem nobis relicta sunt:

Hinc ex occulto sermonem ejus sublegam.

Vid. Serv. ad Virg. Ecl. IX. 21.

ACTUS PRIMI SCENA QUINTA.

SIMO, CALIPHO, PSEUDOLUS.

Si de damnosis aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus;
Eum velle amicam liberare, et quaerere
Argentum ad eam rem, hoc alii mihi renunciant,
Atque id jam pridem sensi, et subolet mihi.

1. *a. vide a.* 4. *p. u. solvit sermonem cum o.*

Vs. 1. *damnosis.* Editt. quaedam veteres post *damnosis* intexunt *natis*, quod, ut sententiae consulit, ita versui molestum est, qui, quamvis expulso *natis*, non optime se habet, sed hiatum objicit, cui medetur Bothius iterato *si* ante alterum *de:* viri doct. opinioni vehementer favet, quod Cd. Acad. exhibet *vide.* — *Damnosi* sunt *prodigi*, *profusi*, ut notum.

Vs. 4. *sermo est omnibus*, dicitur de eo, qui omnibus in ore est: Juven. Sat. X, 167.

Ut pueris placeas, et declamatio fias.

pro eo, de quo habetur declamatio a pueris in scholis Rhetorum. Sic *fabula fio* apud Horat. et Tibull.; Terent. locus, Hec. 4. 3. 14. minus recte his adjungitur. In aliis libris male legitur: *sermone est o.*

Vs. 7. Inter versum 7 et 8 Majus in codice suo invenit ineditum:

Sed dissimulabam. Ps. *Jam illi* notus *filius*

Vocabulum *notus* de suo addidit.

PS. Occisa est haec res, haeret hoc negotium:
Quo in commeatum volui argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta est via.
Praesensit: nihil est praedae praedatoribus.
CA. Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.
Nam istaec quae tibi renunciantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitan ea tibi dicta sunt mendacia.
Sed si vera ea sunt, ut nunc mos est, maxume,
Quid mirum fecit? quid novum? adolescens homo
Si amat, si amicam liberat? PS. Lepidum senem!
SI. Vetus nolo faciat. CA. At enim nequicquam nevis:

10. *oppido opposta obstacula.* 15. *ista.* 18. abest *mos.*
21. *verum n. f.*

Vs. 18. *ut nunc mos est*, etc. ordo verborum confusior: sic redigenda: sed si vera ea sunt maxume, quid mirum fecit, ut nunc mos est, et saecula? quid novum? etc. Optime edit. Steph., favente Cd. Acad.

Sed ea si vera sunt, ut nunc est maxume,

Vs. 21. *vetus nolo faciat.* Miror, Gronovium interpretationem Acidalii improbasse, quae mihi quidem vel inprimis Plautina videtur: Calipho dixerat: quid novum facit Calidorus? vetus est consuetudo, adolescentes amare et scortari. Pater vero non vult, vetus et antiquum hoc filius faciat suus.

Vel tu ne faceres tale in adolescentia.
Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet:
Nam tu quod damni, et quod fecisti flagitii,

Vs. 22. *vel tu ne faceres:* constructio insolita nemini interpretum scrupulum injecisse videtur: in promtu sane est, exponere: vel nonne tu faceres tale in adolescentia: non ista tamen quadrant ad illa, quae sequuntur, sed inepta hic sunt: contextus enim orationis dubitare minime sinit, non modo quin faceret Simo, sed etiam quin fecerit: cf. vs. 25. Sic forte vertere licet versum: frustra aliquid vetas, quod proprium est omni adolescentiae. Frustra, inquam, et injurium est: vel, si vere et jure eum reprehendere velles, tu ipse in adolescentia tale quid facere non debuisses. *Faceres*, pro *facere debuisses*, ut apud Virg. Aen. VIII. 643:

At tu dictis, Albane, maneres.

Cic ad. Div. II. 16 init. *haberent* pro *habere deberent.*

Vs. 25. *quod damni et quod fecisti flagitii;* verbum *fecisti* cum *flagitii* tantum conjungendum est, non cum *damni*; nam *damnum facere* est i. q. nos vulgo: *damnum accipere, ferre, pati.* Vid. Burm. ad Anth. Lat. Tom. I. p. 553. Eodem modo dicimus *facere detrimentum, jacturam:* et dixerunt antiquitus *contumeliam facere*, pro *pati:* Cic. Phil. III. 9. Multus de hoc loquendi genere est Gron. Obss. III. 8. Sic saepius veteres unum verbum duobus substantivis jungunt, quorum alterutri tamen minus convenit: imo vel verbum contrariae significationis interdum abest.

Populo viritim potuit dispertirier.
Id ne tu miraris, si patrissat filius?
PS. ὦ Ζεῦ, quam pauci estis homines commodi!

26. *viritum.* 27. *patrizat.* 28. *acer* pro ὦ Ζεῦ.
b

Inter alios multos cf. Burm. ad Phaed. IV. 17. 31.

Non veto dimitti, verum cruciari fame.

scil. *jubeo:* et Gron. Obss. IV. 2. Plautus *damnum* et *flagitium* copulare amat; vide Merc. 2, 1, 13, ubi *facere* recte pro *pati:* ejusdem fab. 4, 4, 44, alibi. Cic. in Verr. Lib. I c. 12 eadem notione jungit *damna*, et *dedecora;* ubi *damnum* de jactura rei familiaris usurpari, ipse locus docet, et ulterius Graevius illustrat. Saepissime tamen *flagitium* apud Comicos est pro *efflagitatione*, *convicio*, *adpellatione clamosa*, praesertim creditorum (flagitatorum, Most. 3. 2. 81; Cas. Prol. 24), suum improbe ac clare repetentium; cf. huj. fab. 1. 5. 143; 4. 7. 46; Menaechm. Prol. 46, et alibi saepius. In Menaechm. loco nihil opus est de praeconibus cogitare, quoniam vel hae fabulae abunde nos docent, injuriosis his conviciis, in viis publice factis, nihil frequentius fuisse: vide Festum i. v. *occentare.* De Etymologia vocis *flagitium* adi Donat. ad Ter. Eun. 2. 3. 90.

Vs. 26. *populo viritim dispertirier:* commodissime hoc illustrare possunt Aul. 1. 2. 29 sq. et 2. 2. 2 sq: Pseud. Asc. ad Act. I in Verr. § 22, et Ern. cl. Cic. i. v. *divisor.* Unde mihi tuto conjicere videor, hoc versu non respicere viscerationes poëtam, sed candidatorum largitiones ministerio divisorum.

Vs. 28. *commodi*, comes, faciles, jucundi in con-

Ehem, illuc est patrem esse, ut aequum est, filio!
Quis hic loquitur? meus hic est quidem servos Pseudolus.
Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput:
Hic dux, hic ille est paedagogus: hunc ego
Cupio excruciari. CA. Jam istaec insipientia est,

29. *illum esse patrem esset, ut equus filio.* 30. *sed q. h. l.* 33. abest *est.*

victu, qui norunt se accommodare aliis, opponuntur *morosis* et *difficilibus.* Sic etiam recte explicatur Ter. And 5, 2, 3, ubi Donat. in alia omnia discedit. —

Vs. 30. *meus hic est quidem servus:* eadem hic videtur esse vis verbi *quidem,* atque in notissima formula: *ista quidem vis est, vis haec quidem est,* quae est eorum, qui valde urgentur et premuntur. Sic exclamabat Caesar, pugionibus se petitum videns: cf. Ruhnk. ad Suet. Caes. c. 82. Hoc loco Simo pressus servi praesentia, quae sibi tam odiosa et inopinata accidebat, clamat: *meus hic est quidem servus.* —

Vs. 31. *caput scelerum:* cf. huj. fab. 4. 5. 3, et Bacch. 4. 7. 31: *scelerum* his locis non substantive, sed adjective usurpatur: monet enim Serv. ad Virg. Aen. IX. 486 antiquitus dictum fuisse *scelerus, a, um,* quod vel sine hujus testimonio videmus huj. fab. 3. 2. 28: *teritur sinapis scelera,* quod non adtendentes interpretes alii aliter refinxerunt.

Vs. 32. *hic ille:* formula, qua irati, expostulantes, item admirantes utuntur. Exempla vide apud Ruhnk. ad And. 1, 1, 98. Male igitur Bothius mavult *illi.*

Sic iram in promtu gerere: quanto satius est,
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, necne sint, quae tibi renunciant.
Bonus animus in mala re dimidium est mali.
SI. Tibi auscultabo. PS. Itur ad te, Pseudole:
Orationem tibi para advorsum senem.
Herum saluto primum, ut aequom est: postea
Si quid supersit, vicinos impertio.
SI. Salve. Quid agitur? PS. Statur hic ad hunc modum.
SI. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!
CA. Bene confidenterque astitisse intellego.
PS. Decet innocentem, qui sit, atque innoxius,

34. *si i. in p. gereres.* 40. a. e: *plus ea.* 41. *superfit.* 45. *innocens.*

Vs. 38. *itur ad te:* Capt. 3, 4, 2. *eunt ad te hostes.*

Vs. 41. *supersit:* Anteponendum censeo, quod Cd. Acad. et multi alii dant, *superfit*, Plauto usitatius, quamvis, ubi tantopere titubant Mss., quae vera sit lectio, vix dici queat.

Vs. 44. *confidenter*, i. e. *audacter*, *graviter*, in bonam partem: plerumque in malem partem pro *temere*, *impudenter:* Cic. Tusc. III, 7, 14. *Confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur:* ubi vide Wolfium in Prael. Sic *proterve* in bonam partem accipitur eadem notione, Amph. 2. 2. 207.

Vs. 45. *decet innocentem, qui sit:* ἀνακολουθία. *Innocens* est, qui non nocet; *innoxius* qui non novit nocere: cf. Serv. ad Aen. X. 302. Idem recurrit iis-

Servom superbum esse apud herum potissumum.
CA. Sunt quae te volumus percontari, quae quasi
Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.
SI. Conficiet jam te hic verbis: ut tu censeas
Non Pseudolum, sed Socratem tecum loqui.
PS. Ita est: jampridem tu me spernis, sentio;
Parvam esse apud te mihi fidem ipse intellego:
Cupis me esse nequam, tamen ero frugi bonae.
SI. Fac sic vacivas, Pseudole, aedis aurium,
Mea ut migrare dicta possint quo volo.
PS. Age, loquere quid vis, tametsi tibi succenseo.
SI. Mihin' domino servos tu succenses? PS. Jam tibi
Mirum id videtur? SI. Hercle qui, ut tu praedicas,

46. *e. atque hero p.* 58. *h. quin.*

dem fere verbis Capt. 3, 5. 7. In quibusdam vett. editt. perditis numeris est:

Decet equidem, innocens qni sit atque innoxius.

Vs. 48. *per nebulam scimus*, i. e. non satis certo. Tractum a sensu oculorum ad mentis aciem. Quaecumque enim per nebulam videmus, incertiora sunt, nec distincte discernere possumus. cf. Cic. de Fin. V. 15 extr. *In infirma aetate, imbecillaque mente vis naturae quasi per caliginem cernitur.* Cic. Phil. XII, 2, 3. De *praestringere* vel *perstringere*, quod ibidem dubie legitur, cf. Ruhnk. ad Suet. Aug. 29. Ut Plautus hoc loco, et Capt. 5, 4, 26: *per nebulam scire* et *audire*, ita Cic. ad Att. XIII. 48 init. dixit *in strepitu exaudisse.*

Vs. 58. *hercle qui.* Sic fere omnes Mss., ut anaco-

Cavendum est mihi abs te irato: atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas.
CA. Quid censes? edepol merito esse iratum arbitror,
Cum apud te parum stet fides. SI. Jam sic sino,

61. Ps. *Quid censes?* Sim. *edepol etc.* 62. *parvum est fidei.*

luthon sit, abundante *qui*, sicut Bacch. 2. 3. 49. *Hercle quin* vero, ut auctoritate Cd. Acad. nititur et vett. quarumdam editt., ita Plauto est familiarissimum: Menaechm. 5. 9. 33; Merc. 2. 3. 77. alibi.

Vs. 60. *verberare:* ego soleo te flagris verberare, tu vis dolis argento me emungere: sic apud Ter. Phorm. 2, 2, 13 *deverberasse usque ad necem*, est per fraudem et calumniam bonis evertisse. Eadem ratione *tangere*, *percutere*, *ferire*, *jugulare*, *interimere*, *conficere*, *lacerare* et similia, non mortem, sed grave aliquod damnum indicant. cff. intt. ad Prop. IV, 5, 44. Ruhnk. ad Ter. locum.

Vs. 61. *quid censes?* Locus hic non est animadversioni virorum doct. ad Curc. 1. 1. 59. Admoto huc *quid credis?* ex Capt. 1. 2. 53., utrumque existimo esse illorum, qui comiter alium erroris arguere volunt, significantes, aliud sibi persuasum esse. Nos diceremus: *siccine putas?* Quod si verum est, Cd. Acad. secutus, haec vocabula Pseudolo tribuere malim.

Vs. 62. *cum apud te parum stet fides.* Quod Gruter. numeris dandum esse censet, *stet parum* in Steph. edit. sic legitur. *Parum fides* pro *fidei* minime insolitum est: cff. Bacch. 3. 6. 41; Epid. 2. 2. 112;

Iratus sit: ego ne quid noceat, cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? PS. Si quid vis, roga:
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
SI. Advorte ergo animum; et fac sis promissi memor:
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare? PS. Negare meum est. SI. Liberare quam velit?

65. *si quid scibo.* 66. abest *et.*

Ter. Eun. 1. 2. 117; Cic. ad Att. XII. 50. vide Gulielm. Quaest. in Bacch. c. 3. Opportune laudant intt. Virg. Aen. IV. 539.

Vs. 64. ***sed quid ais?*** formula, qua utitur Plautus, quando aliud quid, quam quod ante dixerant, erant dicturi: cf. hujus sc. vs. 67; Amph. 2, 1, 73; Menaechm. 1, 2, 52. Plura vide apud Both. ad Merc. 481.

Vs. 65. ***Delphis tibi etc.:*** cff. Gron. L. P. p. 257.

Vs. 68. In his librorum Mss. tenebris non potuerunt non errare et titubare interpretes. Sed quae Camerarius ex libris suis collegit, et in nostris editionibus exarata circumferuntur, stare non possunt, quippe parum congrua cum interrogationibus subsequentibus Simonis, et cum iis, quae ipse Pseudolus postea respondet: negando hic locus esse nequit. Ad unum omnes assentiuntur interpretes, et manifesto indicant libri nonnulli Mss., ***negare meum*** ex Graeco fonte fluxisse. Nec tamen haec Graece expressisse videtur Pseudolus, ut oracula imitaretur, nam et ante (vs. 28) jam Graeca interposuerat, et infra (2. 4. 22) sermoni suo immiscet: sed quia poëta servum fin-

PS. *Καὶ τοῦτο καὶ τοῦτο* nego. SI. Ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Paritas, ut auferas a me? PS. Abs te ego auferam?
SI. Ita: quas meo gnato des, qui amicam liberet.
PS. Fateri *δεῖ καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί.*
CA. Fatetur. SI. Dixin', Callipho, dudum tibi?

xit in omnes partes paratum, callidum, doctus etiam Graece est: quam ob causam et cum Socrate eum comparat, et philosophantem inducit. Solus igitur Pseudolus Graece loquitur. — Vulgata propterea quidem etiam minus ferenda videtur, quod, optime monente Gronovio, tot supra infraque nexis senariis hos duos versus longiores interjecisse Plautum vix credibile est. Ex corrupta librorum scriptura vera forte elici potest, versusque suis numeris restitui:

Meum amare? Ps. *ναὶ γάρ.* Sim. *Liberare quam velit?*
Ps. *καὶ τοῦτο ναὶ γάρ.* Sim. *ecquas etc.*

Ναὶ γάρ est librorum *naegar*, unde manavit *negare:* usurpavit Pseudolus in affirmatione, ut Plato saepe *ἔστι γὰρ οὕτω: γάρ* in affirmando frequentissimum est, ut in *οὐ μὰ γάρ, τί γάρ*, et similibus. Eadem fere de hoc loco est sententia Bothii. Vs. 73. edit. Steph. haec:

Fatere. πύσαιτο, ἵνα καὶ αὐτὸς ξυσαίμην.

At vetat Hippocrates desperatis facere medicinam.

Vs. 74. *Fatetur* cum Bothio Simoni dandum existimo, nec Caliphoni. — *dudum*: sicut *procul* saepius de spatio breviori, ita et *dudum* de tempore non longe praeterito dicitur; non tantum apud comicos saepissime, sed etiam apud alios scriptores.

CA. Memini. SI. Cur haec, ubi tu rescivisti illico,
Celata me sunt? cur non rescivi? PS. Eloquar:
Quia nolebam ex me morem praegigni malum,
Herum ut servos *suum* criminaret apud herum.
SI. Juberes hunc praecipitem in pistrinum trahi.
CA. Nunquid peccatum est Simo? SI. Immo maxume.
PS. Desiste: recte ego rem meam sapio, Callipho,
Peccata mea sunt. Animum advorte nunc jam,
Quapropter te expertem amoris nati habuerim:
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
SI. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi,
Cum ea mussitabas? PS. Scibam. SI. Cur non dictum est mihi?

75. *tu ubi.* 78. *abest* suum. 79. *Iuberes.*

Vs. 77. *Praegigni:* ἅπαξ λεγόμενον, alii *progigni:* utrum scripserit Plautus, per notarum compendia, quibus librarii in his praepositionibus fore usi sunt, non facile dijudicari posse existimo: cf. 1. 2. 49. huj. fab. *Progigno* legitur etiam Truc. 4, 1, 1.

Vs. 84. *pistrinum in mundo scibam mihi.* Vide Gron. L. P. p. 34. Quare hunc versum excludendum censeat Osann, Anal. Crit. p. 202, non video. Minime ineptus est: imo nisi adesset, aegerrime desideraremus. Charis. eum male citat, ut fere solent Grammatici.

Vs. 86. *mussitabas:* i. e. *tacebas;* Cas. 3, 5, 33, *latentes metu mussitant;* Ter. Adelph. 2, 1, 53:

Accipienda et mussitanda injuria adolescentium'st.
vide Fest. et Nonium i. v. *mussare. Mussitare, mussare* et *muttire* proprie sunt: *ne mu quidem dicere.*

PS. Quia illud malum aderat, istuc aberat longius:
Illud erat praesens, huic erant dieculae.
SI. Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest
Argentum auferri, qui praesertim senserim:
Ne quisquam credat nummum, jam edicam omnibus.
PS. Nunquam edepol quoiquam supplicabo, dum quidem
Tu vives: tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem sumam. SI. Tu a me sumes? PS. Strenue.
Excludito mihi hercle oculum, si dedero. PS. Dabis.
Jam dico, ut a me caveas. CA. Certe edepol scio,
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.
PS. Faciam. SI. Si non abstuleris? PS. Virgis caedito:
Sed quid, si abstulero? SI. Do Jovem testem tibi,
Te aetatem impune habiturum. PS. Facito ut memineris.

87. *q. aliud m. a.* 95. Ps. *si dabis?* 97. *feceris facinus.*

Vs. 88. *dieculae:* Donat. ad And. 4, 2, 27, interpretatur *moram.* Alibi, et praecipue apud ICtos, opponuntur fere *praesens* et *in diem.*

Vs. 95. *excludito oculum:* mavult Lamb. *exsculpito;* perperam: cf. Ter. Phorm. 5, 7, 96.

Vs. 100. *aetatem*, scil. *per.* Sic frequenter pro *semper*, *perpetuo*, nonnumquam pro *diu:* cf. Duk. ad Flor. 3. 13 extr. Cave jungas: *te habiturum aetatem*

SI. Egon' ut cavere nequeam quoi praedicitur?
PS. Praedico, ut caveas: dico, inquam, ut caveas: cave.
Hem, istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
CA. Edepol mortalem graphicum, si servat fidem!
PS. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
SI. Bene atque amice dicis: nam nunc jam meus es.

105. abest *me*.

tuam: parum hoc Latine: melius sic: *te impune habiturum* (scil. *facinus tuum*) *aetatem:* i. e. facinus hoc tuum semper impunitum futurum. Eodem modo *inultum auferre*, Ter. And. 3, 5, 4: et simpliciter *auferre*, Adelph. 3, 4, 8: cff. Eun. 5, 2, 13, et 5, 7, 18.

Vs. 101. *egon' ut cavere nequeam: ut* hoc loco et innumeris aliis eodem modo, supplendum, atque in notissima formula *satin' ut:* cf. Both. ad Amph. 474, et quae dicta sunt infra ad 4. 6. 40.

Vs. 102. Sic distinguendam puto alteram partem hujus versus: *dico, inquam, ut caveas cave.* Nam in vulgata *cave* inepte atque frigide adjicitur: itaque construas: *cave ut caveas*, de quo vide Periz. ad Sanct. Min. IV. 15. p. 985. Forte transpositis vocabulis legendum:

Dico ut caveas: praedico, inquam, ut caveas cave.
De *praedicere* pro *hortari*, *monere*, vide Gron. ad Liv. II. 10.

Vs. 106. *bene atque amice dicis*, est gratias agentis, ut *male dicis* est indignantis et querentis. Bene se habet hic versus, ut in editt. et Cd. Acad. legitur. *Meus es* pro: *meum mancipium es*, sexcenties: cete-

PS. Vin' etiam dicam, quod vos magis miremini?
CA. Studeo hercle audire, nam ted ausculto libens.
SI. Agedum, nam satis libenter te ausculto loqui.
PS. Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram et commemorabilem.
SI. Quam pugnam? PS. Hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Eam circumducam lepide lenonem. SI. Quid est?
PS. Effectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
SI. Siquidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis, nunquid caussae est, illico
Quin te in pistrinum condam? PS. Non unum quidem

115. *lepidule.* Si. *mirum q. e.* 117. *ista haec.* 119. *causa est.*

ri fere Mss. *nam nunc nam meust.* Parum absum, ut credam, Plautum scripsisse: *nam nunc non meus es.*

Vs. 115. Recte ed. Steph: *lepidule.* SI. *Mirum quidem est.* Quo vergit quoque Cd. Acad.

Vs. 118. *Agathocli.* Recte monet Windischmann in disp. de Didascaliis Plaut. *Rhein. Mus. für Phil.* p. 120, regem Agathoclem, ut et Philippum apud novae comoediae poëtas paene in proverbium abiisse: vide exempla laudata.

Diem modo, verum hercle in omnis, quantum est: sed si effecero,
Dabin' mihi argentum quod dem lenoni illico
Tua voluntate? CA. Jus bonum orat Pseudolus:
Dabo, inque. SI. At enim scin' quid mihi in mentem venit?
Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de compacto faciunt consutis dolis,
Qui me argento circumvortant? PS. Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere? immo sic, Simo,
Si sumus compecti, sive consilium unquam inivimus

121. *quantum potest.* 128. *f. a. dicere.*

Vs. 121. Hic versus ne inter ceteros prominerct, alii alia commenti sunt: unice verum praebet edit. Steph.

Diem modo, verum in omnes hercle, quantum potest.
Sed here, si itidem ego, quod jam dixi, effecero,
Dabin' mihi etc.

Quo ducere videtur quoque Cd. Acad. Attamen ne hoc quidem per metrum stare potest, sed praeeunte vulgata scribendum: *verum hercle in omnes.*

Vs. 129. Hunc et sqq. edit. Steph. sic dispescit:

Quis me audacior,
Si istuc facinus audeam? imo sic Simo, si sumus
Conspecti, seu consilium unquam inimus de isthac re,
Aut si de ea re unquam inter nos convenimus, etc.

Numeris sane paulo facilioribus quam in vulgata.

De istac re, aut si de ea re unquam inter nos convenimus,
Quasi in libro cum scribuntur calamo literae,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
SI. Indice ludos nunc jam, quando lubet.
PS. Da in hunc diem operam, Callipho, quaeso mihi,
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
CA. Quin rus uti irem, jam heri constitueram.
PS. At nunc disturba, quas statuisti machinas.
CA. Nunc non abire certum est istac gratia:
Lubido est ludos tuos spectare, Pseudole.
Et si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit, potius quam id non fiat, ego dabo.
SI. Non demutabo. PS. Namque edepol, si non dabis,
Clamore magno et multum flagitabere.
Agite, amolimini hinc vos intro nunc jam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.

131. *literae calamo.* 142. Call. pergit: *non demutabo.* 144. *amovemini.*

Vs. 133. *ludos:* ambiguum; nam cum de circensibus aliisve loqui videtur Simo, quos indici mos erat, revera significat fallacias, quas se editurum jactaverat Pseudolus. *Ludi*, simplicitur sic dicti, apud posterioris aevi scriptores semper intelliguntur *scenici*, tragoediae, comoediae, mimi etc.: cf. Ern. ad Suet. Caes. 39. Cic. ad Div. X. 32.

Vs. 145. *vicissim:* i. e. *contra;* sensus est: ego pro-

SI. Fiat, geratur mos tibi. PS. Sed te volo
Domi usque adesse. SI. Quin tibi hanc operam dico.
CA. At ego ad forum ibo: jam hic adero. SI. Actutum redi.
PS. Suspicio est mihi nunc vos suspicarier,
Me iccirco haec tanta facinora promittere,
Quî vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,
Neque sim facturus, quod facturum dixeram.
Non demutabo, atque etiam certum, quod sciam;
Quo sim facturus pacto, nihil etiam scio,
Nisi quia futurum est. Nam qui in scenam provenit,
Novo modo novom aliquid inventum afferre addecet.

misi, me duplex hoc facinus editurum: vos autem contra nunc locum date fallaciis.

Vs. 156. *novo modo:* perperam vulgo distinguitur post haec verba. Promisi, inquit Pseudolus, vobis, o spectatores, magnum aliquod facinus. Quomodo efficiam, nondum scio: sed efficiam, hoc scio, et ea ratione, qualis in nulla adhuc fabula spectata fuit: nam qui in scenam provenit, et novam fabulam agit, eum decet aliquid novi et novo modo afferre. Itaque solitos ego dolos, quibus heri et lenones vulgo circumveniuntur, non struam; omnia erunt nova: in omnibus fere fabulis est servus aliquis fallax (quod Ovid. jam de Menandro dicit, Am. I. 15. 17.): hoc igitur est vetustum: servus ita fallax, ut ego, hoc novum erit, et novo modo geretur. Verba *novo mo-*

Si id facere nequeat, det locum illi qui queat.
Concedere aliquantisper hinc mihi intro libet,
Dum concenturio in corde sycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

do quamvis non multum ponderis addunt sententiae, tamen sic pleonastice loqui amat Plautus; exempla vide apud Pareum, Lex. Plaut. Mant. in Parallelis.— *Provenire* licet minus usitatum sit de histrionibus et oratoribus, in rostra adscendentibus, quam *prodire* et *procedere*, Naevius tamen apud Cic. de Senect. 6 eodem usus est:

Proveniebant oratores novi, stulti adolescentuli.

Graeci *προςιέναι*, *παριέναι* (unde *οἱ παριόντες* apud Demosth. idem quod *oratores*), *παρέρχεσθαι*, *ἀναβαίνειν ἐς τὸ πλῆθος*, alia.

Vs. 159. *concenturio*, est *colligo:* Trin. 4, 2. 160.

Nam epistola illa mihi concenturiat metum
In corde.

A re militari desumtum. Centuriare enim est, milites in suas classes deferre. Curc. 4, 4, 29.

Miles pulchre centuriatus est expuncto in manipulo.

pro*:* ex centuria expunctus. Minus recte igitur ad locum Trinumm. interpretes deducunt a centuriis, quae ad suffragia conveniunt: nam *centuriare* vix dicitur pro *centuriatim colligere*, nisi in participio, v. c. *comitia centuriata.*

ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS.

Pro Juppiter, ut mihi quicquid ago lepide omnia prospereque eveniunt!
Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum est consilium.
Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere: nam omnes
Res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias; nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias, duplicis triplicis dolos,

4. *magnificus.*

Vs. 4. *res perinde sunt*, etc. sensus est: omnes res, i. e. rerum eventus ita sunt, prouti eas strenue vel somniculose agis, majoris vel minoris ducis. Nota *perinde ut*, conjunctivo junctum, secus atque solet Cicero: de Off. III. 33. *Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum; sed perinde erit, ut acceperis:* cf. Brut. c. 50 Tusc. Quaest. I. 39.

Vs. 5. *copias, duplicis triplicis dolos. Montes, maximi acervi*, huj. fab. 1. 2. 55, nisi ineptissimum esset, hoc versu haud temere induci se pateretur quis, ut germanum crederet. In utroque nimirum poëta per asyndeton corrigit se, atque sententiam explicat: cf. huj. fab. 1. 1. 57. —

Perfidias : ut, ubicumque cum hostibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, mea industria et malitia, fraudulentia :
Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduelles meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc communem, meum atque vostrum omnium,
Ballionem exballistabo lepide ; date operam modo. Hoc ego oppidum

Vs. 6. *malorum meorum;* usitatissima in his fabulis est phrasis: *virtute Deûm et majorum meorum factum est hoc vel illud:* vide Aul. 2. 1. 44; Trin. 2. 2. 65; Capt. 2. 2. 74; Pers. 3. 1. 62; Cas. 2. 6. 66:

Pietate factum est mea, atque majorum meûm.

Verissimam igitur Douzae de hoc loco opinionem puto. Edit. Steph. vs. 2. sq. interpretis vicem explet:

Veniunt! neque quicquam est, quod dubitem, neque quod timeam aggredi:
Ita meo conditum nunc est in pectore consilium.

Sicuti et vs. 7. sqq.

perfidias, ut ubique cum hostibus
Congrediar, malorum meûm fretus virtute: ne mei
Dicam industria, et malitia fraudulenti: ut facile vincam, etc.

Vs. 10. *exballistabo lepide:* i. e. ballista expugnabo: amat hanc metaphoram Plautus: vide Poen. 1. 1. 73.

Quoi jam infortunii intenta ballista est probe.

et Bacch. 4. 4. 58. Fictum esse hoc verbum ex nomine lenonis, non est, quod moneam.

Admoenire, ut hoc die capiatur, volo: atque ad hoc meas legiones
Adducam. Si hoc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Post ad oppidum hoc vetus continuo mecum exercitum protinus obducam:
Inde me, et simul participes omnes meos praeda onerabo, atque opplebo:

Vs. 11. *ad hoc:* sic recte Cd. Acad., et quaedam editt. vet. Plurimi Mss. tamen *ut hoc*, quod male tuetur Pareus: ineptum enim videtur: *oppidum admoenire* (*obsidere*) *volo, ut huc meas legiones adducam.*

Vs. 12. *facilem hanc rem faciam:* i. e. gratam faciam, ex animi sententia. Epid. 2. 2. 59.

Quam facile et quam fortunate evenit illi.

vid. Graev. ad Cic. ad Div. III. 12. Kortte ad Cic. ad Div. VI. 5. 2. et II. 16, 7. *Facile vivere* apud Plaut. et Terent. est: ex animi sententia vivere, sine molestiis cum sumtuum tolerandorum, tum aliarum rerum. Eodem modo, eademque fere notione poëta huj. fab. 4. 1. 18 dixit: *explicatam tibi rem dabo.* Frustra igitur emendare conati sunt vv. dd.

Vs. 13. *obducam: obducere aliquem* est adducere aliquem, qui alteri adversetur: cff. Gron. L. P. p. 238. Similiter *obsidere* proprie non est *circumsidere*, ut vulgo interpretantur; sed *sedere contra: obvallare* non *circumvallare*, sed *vallum exstruere contra urbem:* cff. Gron. et Ruhnk. ad Ter. Adelph. 4. 6. 6. (contra Festum, i. v. *ob.*) Hic tamen minus recte Poen. Prol. 23 *obsidere* pro simplici *sedere* esse affirmat.

Metum et fugam perduellibus meis *injiciam*, me esseut sciant natum,
Quo sum genere gnatus; magna me facinora decet efficere,
Quae post mihi clara et diu clueant. Sed hunc quem video, quis hic est,
Qui oculis meis obviam ignorabilis objicitur? libet scire,
Quid hic velit cum machaera: et huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.

ACTUS SECUNDI SCENA SECUNDA.

HARPAX, PSEUDOLUS.

Hi loci sunt, atque hae regiones, quae mihi ab hero sunt demonstratae,

15. *p. meis esse me u. s.* 17. *q. p. me.*

Vs. 16. *quo sum genere gnatus:* sic libri nonnulli, et vetustissimae editt.: Lamb. et Taubm. alios secuti: *eo sum genere gnatus*, quod vix commode explicari potest. Sensus est: ut sciant, me eo genere esse natum, quo sum: quod ridiculi causa ab eo dictum est. Et habet ἀπροςδοκήτον; exspectaveras enim: *genere natus illustri* vel simile; omnes sciebant, eum genere natum, quo erat natus.

Vs. 17. *mihi clara et diu clueant.* Cd. Acad. solus, quod sciam, *me* pro molesto *mihi*. *Clara clueant* non est certe, quod nos offendat. Par. Lex. Mant. p. 522 sq.

Vs. 19. *huic:* ita omnes Mss. vereor ne *hic*, quod vetust. editt. tenent, insititium sit.

Ut ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus miles,
Septimas esse aedes a porta, ubi ille habitat leno, cui jussit
Symbolum me ferre, et hoc argentum. Nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi hic habitat. PS. St. tace, tace:
Meus hic est homo, ni omnes Di atque homines deserunt: novo consilio
Nunc mihi opus est: nova res subito mihi haec objecta est:
Hoc praevortar principio: illa omnia missa habeo, quae ante agere occoepi.
Jam pol ego hunc stratioticum nuncium advenientem probe percutiam.
HA. Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.

4. certum quid me f. 5. *hem , tace, tace.*

Vs. 2. *oculis rationem capere:* frustra mihi videtur dedisse Gron. *orationem*, sine dubio ob sequens *dixit*, quippe ad hoc magis quadrans. Forte tamen sic interpretari licet: ut ego oculis rationem ineo, numerum aedium ratiocinor, quem mihi ita indicavit herus meus, ut aedes lenonis essent a porta septimae. *Capere rationem* pro *ratiocinari*, *numerum capere*, Aul. 4, 10, 68: sic *capere conatum* pro *conari; desiderium capere* pro *desiderare; conjecturam capere* pro *conjicere* apud Ter. Heaut. 2, 3, 25, et apud Cic. pro Rosc. Am. 35, alia.

PS. Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo;
Nam ego precator et patronus foribus processi foras.
BA. Tune es Ballio? PS. Immo vero ego ejus sum Subballio.
BA. Quid istuc verbi est? PS. Condus promus sum, procurator peni.
HA. Quasi te dicas atriensem. PS. Immo atriensi ego impero.
HA. Quid tu, servusne es, an liber? PS. Nunc quidem etiam servio.
BA. Ita videre, et non videre dignus qui liber sies.
PS. Non soles respicere te, cum dicas injuste alteri?

13. *ego vero.* 14. *suppromus sum.*

Vs. 11. *compendium* etc. i. e. pultare noli, vel omitte. Amat hanc locutionem Plautus, de qua vide Gron. L. P. p. 79.

Vs. 12. *precator et patronus: precator* idem quod deprecator; sensus est: processi foras, ut patrocinium forium suscipiam, et deprecer, si quis nimis valide eas pulset: cf. Gron. ad Ter. Heaut. 5, 2, 22.

Vs. 13. *Subballio*, quasi dicas, vicarius Ballionis: vide Gron. L. P. p. 257. Quod vero affert vir. cl. exemplum ex Cic. ad Att. X. 1 de *Summario* pro altero Mario, crudelitate et imperii cupidine huic pari, quum in Cicerone ferri vix potest, Manut. suspicatur legendum *nummarius*.

HA. Hunc hominem malum esse oportet. PS. Di me servant atque amant.
Nam haec mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.
HA. Quid illic secum solus loquitur? PS. Quid ais tu adolescens? HA. Quid est?
PS. Esne tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servos ejus, qui hinc a nobis est mercatus mulierem?
Qui argenti hero meo lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? HA. Sum: sed ubi tu me novisti gentium,
Aut vidisti, aut collocutus? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.
PS. Quia videre inde esse: nam olim cum abiit, argento haec dies
Praestituta est, quoad referret nobis; neque dum rettulit.

20. *nam hic meus est producam.* 26. *Athenis.*
27. *a. h. d. nunquam.*

Vs. 20. *haec mihi incus est.* Alii, *hic mihi incus est:* Mss. utrumque habent, utrumque recte dicitur. In utramque partem exempla collecta vide a Gron. ad Senec. Cons. ad Marciam. 19.

Vs. 29. *quoad* pro *ad quem.* Notae locutiones *ad diem solvere*, *dare:* Terent. Phorm. 3. 2. 39.

HA. Immo adest. PS. Tun' attulisti? HA. Egomet. PS. Quid dubitas dare?
HA. Tibi ego dem? PS. Mihi hercle vero, qui res rationesque heri
Ballionis curo, argentum accepto, expenso, et cui debet dato.
HA. Siquidem hercle etiam supremi promptas thesauros Jovis,
Tibi libellam argenti nunquam credam. PS. Dum tu strenuas,
Res erit soluta. HA. Vinctam potius sic servavero.

35. *nunc jam p. s. s.*

Ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,
Quam ad dares huic, praestituta.

Sic *ad* saepissime pro sexto casu: cf. Kortte ad Cic. ad Div. VII. 23. 3 et IX. 5. 1. *Modus*, *quoad* pro *ad quem*, legitur Men. 5, 2, 19.

Vs. 34. *dum tu strenuas, res erit soluta:* locus vexatus, ab aliis alio modo refictus: *strenuare*, quod novum omnibus accidebat, se commendare non potuit. At Barthius Adv. XI. 6 in glossario suo, quod summis laudibus cumulat, se reperisse testatur: *strenuantes. — cupidi:* et in aliis glossariis corrupte *strenuates*, *strenates:* quod sane vulgatam haud mediocriter firmat. Sic expedienda videtur: dum tu intempestive strenuum te facis, superbis, ego tibi acceptam pecuniam feram. Quod scil. fidei calonis se permittit Pseud., admodum idoneum est, ut illi fiduciam afferat vel augeat.

Vs. 35. *vinctam:* plurimi Mss. dant: *vinciam poti-*

PS. Vae tibi! tu inventus vero, meam qui forcilles fidem!
Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier!
HA. Potest ut alii ita arbitrentur, et ego ut ne credam tibi.
PS. Quasi tu dicas me te velle argento circumducere.

37. abest *soli.* 38. *alii te arbitrentur.*

us; sic servavero, cui favet aliorum corruptum *nunc jam.* Alterum alteri non antepono. Jocus, quem hic optime deprehenderunt interpr., facetior, si pecuniam in zona vinctam cogitamus.

Vs. 36. *meam qui forcilles fidem.* Verbum hoc *forcillare* quam plurimas creavit molestias interpretibus, qui, quamvis in omnibus Mss. sic legitur, in diversa abeunt. Contumeliose rejecta Lambini interpretatio in desperatissima hac causa nisi optima est, tamen exoptatissima accidit, sic vertentis: *meam fidem quasi furcis torqueas et depraves:* immo vero *laceres, distrahas.* Vox est a servo ficta. *Furcae* enim vel *furcillae* instrumenta, servo improbo ac nequam notissima (hinc locutiones *sub furcis caedi, furcifer*, alia, de servis et in servos proprie dicta): itaque mirum non est, si Pseudolus supplicium furcarum commemorat, quo ipse crebro affectus fuit, vel conservos cruciatos vidit. Copiose furcarum poenalium usum exposuit Lips. de Cruce, III. 2. sqq. Steph. jam conjecit *floccilles*, et in margine editionis suae notari jussit.

HA. Immo vero quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer.
Sed quid est tibi nomen? PS. Servos est huic lenoni Syrus,
Eum esse me dicam. Syrus sum. BA. Syrus? PS. Id est nomen mihi.
HA. Verba multa facimus: herus si tuus domi est, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum. PS. Quicquid est nomen tibi,
Si intus esset, evocarem: verum si dare vis mihi,
Magis erit solutum, quam ipsi dederis. HA. At enim scin' quid est?
Reddere hoc, non perdere, herus me misit. Nunc certe scio,
Hoc febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas.

43. *si domi est tuus.* 44. *quo missus hic s.* 47. abest *me.*

Vs. 41. *Syrus:* vide de servis Syris testimonium patris Ciceronis de Orat. II. 66, ibique Turnebus.

Vs. 44. *quod missus huc sum:* sic Acid. alicubi se invenisse testatur; vulgo: *quo missus hic sum,* quod, licet omnes Mss. et editt. exhibent, ferri non potest. Fastidiosum *quicquid est nomen tibi* eorumdem auctoritate Pseudolo restitui, qui Harpagis nomen nondum rogaverat.

Vs. 46. *quam ipsi dederis,* pro: quam si ipsi dederis. Copula *si* omittitur etiam Men. 1, 1, 11 et 1, 3, 24.

Vs. 47. In Mss. Pallat., sicuti in Cod. Acad. abest *me:* quod egregie metro consulit, in cujus gratiam olim adjectum.

Ego, nisi ipsi Ballioni, nummum credam nemini.
PS. At illic nunc negotiosus est: res agitur apud judicem.
HA. Di bene vortant. At ego quando eum esse censebo domi,
Rediero: tu epistolam hanc a me accipe, atque illi dato:
Nam istic symbolum est inter herum meum et tuum de muliere.
PS. Scio equidem, ut qui argentum afferret, atque expressam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo ajebat velle mitti mulierem.
Nam hic quoque exemplum reliquit ejus. HA. Omnem rem tenes.
PS. Quid ego ni teneam? HA. Dato ergo istum symbolum illi. PS. Licet.
Sed quid est tibi nomen? HA. Harpax. PS. Apage te Harpax, haud places.

51. *censeo*. 58. *Harpax sum*.

Vs. 50. *res agitur apud judicem: res* pro *lis* usitatissimum. Unum mihi liceat afferre locum Cic. pro Mur. 12. extr. *Mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos etiam nunc statuere non potuisse*, rem *an* litem *dici oporteret*.

Vs. 56. *exemplum* pro *exemplari*, rariore et exquisitiore significatione: cf. de iis disputans Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 108.

Vs. 57. *licet* hoc loco, sicut saepissime nihil aliud significat, nisi assensum. Idem Plauto testi-

Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris.
HA. Hostes vivos rapere soleo ex acie: *ex* hoc nomen mihi est.
PS. Pol te multo magis, opinor, vasa ahenea ex aedibus.
HA. Non ita est. Sed scin' quid te orem, Syre? PS. Sciam si dixeris.
HA. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,

61. *pol te vivos? magis.*

tuendum Truc. 2, 7, 35, quod magis palam fiet, si conferas Rud. 4, 6, 8.

Vs. 59. *ne quid Harpax feceris*: nihil mutandum censeo. Et hic unice verum sensisse videtur Lambinus, sic vertens: ne quid nomini consentaneum feceris, i. e. rapueris. Frustra Scal., Lect. Aus. I. 19, *harpax* adverbium dicit, a verbo *harpago*, sicut *pax* interjectio a *pago*, tax a *tago*, *tango*.

Vs. 60. *hostes vivos rapere soleo:* mos scil. erat apud pristini aevi homines, hostes vivos rapere, ut servos facerent, amicisque mortuis parentarent, sicuti Achilles Patroclo, Aenaeas Pallanti, Virg. Aen. X, 519:

Viventis rapit, inferias quos immolet umbris:

Cf. Epid. 2. 2. 115. *raptor hostium.*

Vs. 61. *pol te multo magis*, etc. Verissimum puto, quod Lipsius ex Mss. Vaticanis dedit: *pol tu vivos? magis opinor*, etc., a quibus parum recedit Cd. Acad.

Vs. 63. *devortor*, quid sit, quidque differat inter *devortor* et *divortor*, vide apud Drakenb. ad Liv. XLIV. 43.

Apud anum illam doliarem, cludam, crassam, Chrysidem.
PS. Quid nunc vis? HA. Inde ut me arcessas, herus tuus ubi venerit.
PS. Tuo arbitratu, maxume. HA. Nam ut lassus veni de via,
Me volo curare. PS. Sane sapis, et consilium placet:
Sed vide sis, ne in quaestione sis, quando arcessam, mihi.
HA. Quin ubi prandero, dabo operam somno. PS. Sane censeo.

64. *diobolam recludam.* 65. abest *nunc.*
68. *accersam te.* — abest *mihi.*

Vs. 64. *diobolarem:* optime tuetur Gronov., quod Donatus legit: *doliarem.*

Vs. 66. *ut lassus veni de via: ut* pro *quoniam:* cf. Most. 1. 3. 63. laud. Serv. ad. Virg. Aen. X, 231.

Vs. 67. *me volo curare: curare*, verbum proprium mensae et epulis: hinc *corpus curare*, *cutem curare* apud Hor. Epist. I, 4, 15. Sed hic sensu latiore accipitur de omni officio, quo hospes est excipiendus, balneo, veste, foco, epulis, quod patet ex Stich. 5, 3, 9: *amicos meos curabo, hic advenientes:* cff. Heyn. et Wund. ad Tib. I. 5. 33.

Vs. 69. *sane censeo:* censeo te facturum recte, sapienter, ut homines sani solent. De qua vi voculae *sane* vide intt. ad Amph. 1, 1, 292, et Curc. 1, 3, 20. *Quin* sic explicandum puto: ne metuas, me quaestioni futurum: quin, i. e. immo potius, ubi prandero, dabo operam somno.

HA. Nunc quid vis? PS. Dormitum ut abeas. HA. Abeo. PS. Atque audin' Harpage?
Jube sis te opperiri: beatus eris si consudaveris.

ACTUS SECUNDI SCENA TERTIA.

PSEUDOLUS.

Di immortales! conservavit me illic homo adventu suo:
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam.
Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius

Vs. 70. *nunc quid vis?* Optime monet Bothius, male sic edere vulgatas: in vett. nonnullis editt. germanum legitur: *numquid vis?* quod patrono non eget.

Vs. 71. *beatus eris:* beate tibi erit, gratum habebis, si consudaveris. *Beare* apud Comicos significare *grata alicui dicere* vel *facere*, notissimum est. Sic de cibo dicitur pro *delectare*, Capt. 1, 2, 34. Nescio, quid impuri in Pseudoli verbis deprehenderit Barth. Adv. XI. 6.

Vs. 2. *viaticum*, ἐφόδιον, sumtus viae: hic tamen *suo viatico* recte interpretantur, *suo sumtu:* nec tamen proverbii speciem habet, sicuti adjicitur. Multum enim abesse credo, ut haec notio subsit verbo simpliciter, nulla ratione habita contextus. Hic autem *adventu suo* Harpax conservaverat Pseudolum: suo igitur itinere, sumtuque itineris *reduxerat in viam usque ex errore. Usque* sic haud semel motum de loco notat.

Vs. 3. *allata:* ex conjectura Lipsii; Mss. ad unum

Advenire, quam haecc' allata est mihi opportune epistola:
Nam haec allata cornucopiae est, ubi inest quicquid volo.
Hic doli, hic fallaciae omnes sunt, hic sunt sycophantiae,
Hic argentum, hic amica amanti herili filio.
Atque ego nunc me gloriosum faciam, ut copi pectore.

4. quam haec cavata est. 5. alata copiast cornu. 7. amanti amica. 8. me gloriosum f. u.

omnes: *quam haec cavata*, quod Lamb. et Pareus interpretantur *eruta*, mihi quidem quum nullum sensum praebet, nec virorum doctorum commenta magis se commendant, *allata* praeeuntibus aliis in textum intuli.

Vs. 5. *nam haec allata cornucopiae est:* assentior Gronovio, lectionem Cd. Acad. vulgatae anteponenti: nihil tamen opus est mutare, quamvis iteratum *haec allata* suspectum possit videri. Haec epistola, inquit servus, mihi allata est quasi cornu copiae: in hac epistola accepi cornu copiae. Lamb., iterum suffragante Pareo, *nam haec illud cornucopiae est*, deductum ex scriptura veterum nonnullarum: *nam haec illa ea.*

Vs. 8. Frustra hunc versum contra Mss. auctoritatem mutare aggressi sunt viri docti: nihil mutandum censeo: sensus est: nunc gloriabor, nunc me jactabo; nam cornu copiae allato, sum copi, i. e. copioso pectore (cf. Bacch. 2. 3. 117); cornu copiae spiritus mihi fecit. Post *pectore*, praeeunte edit.

Quo modo quicque agerem, ut lenoni surriperem mulierculam,
Jam instituta, ornata cuncta in ordine animo ut volueram,
Certa, deformata habebam: sed profecto hoc sic erit.
Centum doctûm hominum consilia sola haec devincit dea
Fortuna. Atque hoc verum est: proinde ut quisque fortuna utitur,
Ita praecellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.

10. *i. o. habeo ut impectore.*

Steph., et annuente Bothio, plenissime distinxi: nam hic versus praecedentibus est aptandus, minime cum sequentibus connectendus, quoniam prorsus diversa sequuntur. *Se gloriosum facere*, pro *gloriari*, *se jactare*, ut *se magnum*, *ferocem*, *facetum*, *magnificum facere:* de quibus vide Gron. L. P. p. 92.

Vs. 10. *ornata*, pro instructa, parata: cf. Lang. ad Sall. Jug. 90.

Vs. 11. *deformata:* i. e. delineata, descripta, designata; sedem habet inprimis in morum et habitus descriptione, vel characterismo: cf. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 90. — *sed profecto hoc sic erit:* quamquam omnia jam erant parata, sine dubio tamen novum consilium sequar, hoc praevortar principio (cf. huj. fab. 2. 2. 8): sic, ut nunc animo concepi, lenonem puella circumducam.

Vs. 14. *exinde:* hujus voculae elegans usus est apud

Bene ubi quod consilium discimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus: stultum autem illum, quoi vortit male.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, cum quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
Sed jam satis est philosophatum, nimis diu et longum loquor.
Di immortales, aurichalco contra non carum fuit

15. *ubi quid diximus consilium.* 17. *stulti autem sumus: frustraque scimus.* 19. *hoc venit.*

Plautum, ubi sermo est de re, ex alia pendente, ex eademque aestimata: Poen. 3. 5. 9.

Utcumque est ventus, exin velum vortitur.

cf. Most. 1. 3. 70:

Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire.

Notione vulgari lexicorum venit Curc. 2. 3. 84 et Truc. 1. 1. 64.

Vs. 15. sqq. Hi versus in omnibus Mss., quibus quidem nunc utimur, turpibus mendis maculati videntur: vs. 15 *quid* pro *quod:* vs. 17 bis *scimus* exhibent, et *quod* pro *quid.*

Vs. 22. *aurichalco contra non carum fuit:* aurichalco contra appenso vel numerato carum non fuit; vilius est aurichalcum meo mendacio: cf. Gron. L. P.

Meum mendacium, hic modo quod subito commentus fui.
Quia lenonis me esse dixi. Nunc ego hac epistola
Tres deludam, herum et lenonem, et qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge par pari! aliud autem quod cupiebam contigit.
Venit eccum Calidorus, ducit nescio quem secum simul.

ACTUS SECUNDI SCENA QUARTA.

CALIDORUS, CHARINUS, PSEUDOLUS.

Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia:
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.

25. abest *mihi*.

p. 83. Quomodo scribendum sit, *aurichalcum* an *orichalcum*, etiamnunc sub judice lis est: utrumque probat Salm. ad Plaut. Curc. 1. 3. 46: contra vide Heyn. ad Virg. Aen. XII. 87.

Vs. 26. *euge par pari*, scil. dabo vel respondebo. Est servi exsultantis et vindictam minantis trinis illis, qui ante contumeliose factis vel dictis bilem illi commoverant: cf. Asin. 1, 3. 20; Truc. 5. 47. — *Aliud* — *quod*, omisso *quam* vel simili copula. Alterum exemplum talis ellipsios vix reperias. *Aliud* forte vertere licet *alio modo*, *aliter*, salva magis sententia. Sed dubius haereo.

CH. Commemini omnia: id tu modo quid me vis facere, fac sciam.
CA. Cum haec tibi alia sum elocutus, ut scires, si scis, de symbolo.
CH. Omnia, inquam: tu modo, quid me facere vis, fac ut sciam.
CA. Pseudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuum,
Benevolentem adducerem ad se. CH. Servas imperium probe;

3. *omnia: dic tu m. me quid vis facere, faciam.*
4. *cum hoc t. a. s. elocuturus, u. s. si quid d. s.*
5. *i. quae tu modo: quid.* 6. abest *ita.*

Vs. 3. Codicis Acad. lectionem firmat, quam saepius laudavi, edit. Steph.: versui tamen molesta est: aliae quoque *faciam* pro *fac sciam.*

Vs. 4. Versus depravatus. Alii libri, ut et Cd. Acad. *hoc* pro *haec*, omissis *si scis.* Lambin. nescio qua auctoritate, *tum* pro *cum.* Both. totum versum ex ingenio refingit:

Cum haec tibi alia, tum elocutus, ut sit res de symbolo.

Hic vero usus particularum *cum* — *tum* Plauto ignotus. Quod si Lambinianum *tum* e libris petitum est, amplectendum censeo: *si scis*, quo ob sequentia aegre careremus, est pro: *si recordaris, meministi:* Most. 3. 3. 2; Curc. 3. 14.

Vs. 5. Quod exhibet Cd. Acad., praecone non eget; difficiliore quamvis metro, egregie sic:

Omnia, inquam, quae tu modo: quid me facere vis, fac ut sciam.

Nam et amicum et benevolentem ducis. Sed istic Pseudolus
Novus mihi est. CA. Nimium est mortalis graphicus : heuretes mihi est :
Is mihi haec esse effecturum dixit, quae dixi tibi.
PS. Magnifice hominem compellabo. CA. Cuja vox sonat? PS. Io, io, *io*.
Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pseudolo,
Quaero : quoi ter, trina, triplicia, tribus modis tria gaudia,
Artibus tribus ter demeritas dem laetitias, de tribus
Fraude partas ; per malitiam, et per dolum et fallaciam,
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
CA. Illic homo est. CH. Ut paratragoedat carnufex ! CA. Confer gradum.

8. *nam amicum*. 11. duplex *io*. 12. duplex *te*.
13. Cal. *quaero*, *quid id est*. Ps. *trina me tria gaudia*.
14. *dem tribus f. p.*

Vs. 13. Lamb. post *Pseudolo* plenissime distinguens, *quaero* sequentibus junxit, quod verius puto. In Steph. CAL. *Quaero quoi ter?* PS. *trina* etc. vs. sq. *dein* pro *dem*.

Vs. 17. *paratragoedat;* sic Mss. Pseudolus ut copi pectore nunc, haud secus ac in tragoediis magnificum se facit, et statum basilicum sumit: videt herum et Charinum appropinquantes, nec loco se movet: hero quamvis jubente, obviam ire superbus dedignatur: cf. Merc. 5. 2. 41 sq. Monente Acidal., et edit.

Contra pariter. PS. Porrige audaciter ad salutem brachium.
CH. Dic, utrum Spemne an Matrem te salutem, Pseudole?
PS. Immo utrumque. CH. Utrumque salve: sed quid actum est? PS. Quid times?
CA. Attuli hunc. PS. Quid attulisti? CA. Adduxi, volui dicere.
PS. Quis istic est? CA. Charinus. PS. Euge! jam Χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.

22. *jam Charinum nolo.*

Steph., quaecumque usque ad vs. 20 Charino dantur, rectius Calidoro tribui censeo.

Vs. 19. *spemne an matrem:* alii *spemne an salutem:* prius auctoritate multorum librorum sine dubio est recipiendum.

Vs. 20. *quid times?* est Pseudoli magnifici, herum fastidiose increpantis, quod ipsi, saluti suae, parum fidere videbatur.

Vs. 21. *adduxi volui dicere.* Veteres, linguae lapsum corrigentes, dicebant: *hoc vel illud volui dicere:* non ut hodie plerumque, *inquam*, quo verbo utebantur in instauranda oratione, vel emphasis causa in vocabuli repetitione: cff. v. c. huj. fab. 3, 2, 55; Mil. 1. 1. 27; 3. 2. 7; fragm. Frivolariae vs. 10, et apud Terent. saepius: vide Ruhnk. ad Andr. 5. 2. 21.

Vs. 22. *Jam* Χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ. Sic e vestigiis Membranarum collegit Camer.: Acidal. mavult: *euge! jam* χαίρειν Χαρῖνον *volo:* alii alia. Ante jam vidimus, turbare, et absurda tradere Mss. in Graecis, quae pas-

CH. Quin tu quicquid opu'st, audacter imperas.
PS. Tam gratia est.
Bene sit, Charine: nolo tibi molestos esse nos.
CH. Vos molestos mihi? molestum est *id* quidem.
PS. Tum tu igitur mane.
CA. Quid istuc est? PS. Epistolam modo hanc intercepi, et symbolum.

23. *opu'st, mihi a. i.* absunt *tam gratia est.*
24. *bene sis Carine.* 25. absunt *id* et *tu.*

sim apud Plautum recurrunt, ita ut certi quid statuere non detur, sed contra virorum doctorum conjecturas accipere debeamus. Camerarii lectio sic explicatur: Charinum tamquam bonum omen accipio, utpote qui nomen habet a verbo χαίρω. Gronovii lectio: *euge! jam* Χαρίνῳ χάριν ποιῶ, admodum placet, quoniam opera Charini nunc non amplius opus erat Pseudolo. Both. metri causa χάριν (gaudium, voluptatem) pro Χαρῖνον.

Vs. 23. *tam gratia est:* alii *jam gratiam;* sed cum Gron. hanc lectionem unice veram esse puto, quoniam est formula blande aliquid recusantium, Plauto admodum usitata. Alibi etiam *jam* pro *tam* legitur in eadem locutione: cf. Both. ad Menaechm. 296, qui *tam* pro *tamen* positum affirmat, qua significatione olim usurpatum fuisse Festus docet. Mihi tamen formula sic videtur supplenda.: tam gratia est, quam si opera tua usus essem: cf. Gulielm. Quaest. in Menaechm. c. 2. Gronov. L. P. p. 342, h. l. vertit *concedo:* minus recte, ut videtur.

Vs. 24. *bene sit:* cum Bothio malim legere *fit:* hoc quod agimus et meditamur, bene fit, it, succedit.

CA. Symbolum? quem symbolum? PS. Qui a milite allatu'st modo:
Ejus servo, qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arcessebat, ei os sublevi modo.
CA. Quomodo? PS. Horum caussa haec agitur spectatorum fabula:
Hi sciunt, qui hic affuerunt, vobis post narravero.
CA. Quid nunc agimus? PS. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egone? PS. Tute. CA. Ego? PS. Ipsus, inquam, siquidem hoc vivet caput:
Si modo mihi hominem invenietis propere. CH. Qua facie? PS. Malum,
Callidum, doctum, qui quando principium prehenderit,
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat:

27. *alienatus est.*

Vs. 29. *os sublinere*, pro decipere: Gron. L. P. p. 59. Nonius hanc locutionem a ridiculo quodam lusus genere deducit, quo dormientibus aut alioquin imprudentibus ora pingebantur.

Vs. 32. *quid nunc agimus?* sermo dubitantis est et consultantis: cf. huj. fab. 4. 7. 61. Cic. pro Quint. 13. Similiter *quid ago?* Bacch. 5, 2, 79; Cic. ibid. c. 16: *Quintius ad vadimonium non venit: quid ago?* ubi vide Hott.

Atque eum, qui non hic usitatus saepe sit. CH. Si servos est,
Nunquid refert? PS. Immo multo mavolo quam liberum.
CH. Posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui a patre advenit Carysto: nec dum exiit aedibus
Quoquam, neque Athenas advenit unquam ante hesternum diem.
PS. Bene juvas. Sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam: nam unam hujus mihi debet pater.
CH. Ego dabo, ne quaere aliunde. PS. O hominem opportunum mihi!
Etiam opu'st chlamyde et machaera, et petaso. CH. Possum a me dare.

40. *nec exit.* 41. *ante extremum diem.*

Vs. 37. *usitatus:* anteponendum videtur *visitatus* pro *saepe visus*, invitis quamvis Mss., qui excepto Parisino vulgatum tenent, quod ne semel quidem apud Plautum legitur: *visitatus* contra passim obviam fit: calculum adjicit Gron. L. P. p. 258.

Vs. 43. *nam unam hujus* etc. sic omnes libri scripti atque editt.: quod tamen ferri non potest. Alii alia commenti sunt: sed argumenta, quibus quisque sua stabilire atque fulcire conatur, minime valent evertere sententiam eorum, qui *unam* prorsus delendum censent, ex iterato praecedenti *nam* ortum.

Vs. 45. *a me dare:* i. e. *e domo mea.* Notanda

PS. **Di immortales, non Charinus mihi hic quidem est, sed copia!**
Sed istic servos, ex Carysto huc qui advenit, quid sapit?
CH. **Hircum ab alis.** PS. **Manuleatam tunicam habere hominem decet.**
Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. **Atque acidissumi.**
PS. **Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet?** CH. **Rogas?**

48. *his cum ab aliis.*

est significatio harum vocularum; sic Stich. 5, 1, 7 *a me transferam*, i. e. ex apotheca heri mei.

Vs. 46. *copia:* cf. huj. sc. vs. 18 sq. Haud dispares loci sunt Rud. 2, 6, 73. et Bacch. 4. 3. 25:

Tuam copiam eccam Chrysalum video.

Vs. 47. *quid sapit:* i. e., quam sapiens est. Charinus vero de industria male intelligens, atque joculum quaerens in duplici significatione verbi *sapere*, respondet: *hircum ab alis.* Variae lectioni *ab incunabulis* non defuerunt sui patroni.

Vs. 48. *manuleatam:* nescio quid obscoeni hac occasione Plauto commodare student interpretes: Gronovius recte censet, hoc Pseudoli dictum congruens esse responso Charini, quoniam tunicae manicatae alarum foetorem minus ad nares pervenire patiuntur.

Vs. 49. *aceti in pectore:* i. e. prudentiam, ingenium acutum et mordax: cf. Bacch. 3, 3, 1. et Gron. L. P. p. 175. Aliis verbis iterat quaestionem, Charini joco in deridiculum versam, *quid sapit?*

Murrhinam, passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi:
Quin in corde instruere quondam coepit thermopolium.
PS. Eugepae! lepide, Charine, me meo ludo lamberas:
Sed quid nomen esse dicam ego isti servo? CH. Simiae.
PS. Scitne in re advorsa vorsari? CH. Turbo non aeque citus est.

51. *quovismodi.* 53. *euge pellepide.* 54. abest *ego.* 55. abest *re.*

Vs. 51. *myrrhinam.* Vide Plin. H. N. XIV. 15; de *passo* XIV. 11; de *defruto* ibidem, et XVIII. 74. — *Quojusmodi* pro cujusvismodi, cujusquemodi.

Vs. 52. *thermopolium:* taberna, ubi potiones dulces venibant, quas calidas potarent: hinc verbum *thermopotare*, Trinumm. 4, 3, 7, et mentio *thermopolii* in hilarioris invitationis descriptione, Curc. 2. 3, 13., quoniam apud priscos Romanos non tantum in usu, sed in delitiis fuisse, calidum bibere, monet Lips. Elect. I. 4.

Vs. 53. *me meo ludo lamberas:* vid. Poen. 1. 2. 83.

Vs. 54. *Simiae.* Bothius mavult *Simmiae*, causas adferens admodum futiles. *Simiam* antiquitus dictum fuisse *hominem callidum, malignum et nequam*, persuadere conatus est Meurs. ad Truc. 2, 2, 14. Praeterea Simmias non videtur esse nomen servile.

Vs. 55. *versari*, in varias formas mutari; versutum, versipellem esse.

PS. Ecquid argutus est? CH. Malorum facinorum saepissume.
PS. Quid, cum manifesto tenetur? CH. Anguilla'st, elabitur.
PS. Ecquid is homo scitus est? CH. Plebiscitum non est scitius.
PS. Probus homo est, ut praedicare te audio. CH. Immo si scias,
Ubi te aspexerit, narrabit ultro quid sese velis.
Sed quid es acturus? PS. Dicam, ubi hominem exornavero.
Subditicium fieri ego illum militis servom volo:
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis,
Mulierem ab lenone abducat. Hem tibi omnem fabulam.
Ceterum quo quicque pacto faciat, ipsi dixero.
CA. Quid nunc igitur stamus? PS. Hominem cum ornamentis omnibus

58. *est scitus?* Ch. *p. non aeque scitum est.*
60. *quid esse velis.* 64. *adducat.*

Vs. 56. *argutus:* jocus in duplici verbi notione, *ingeniosus* et *convictus.*

Vs. 60. *quid sese velis*, scil. agere: Cave credas, esse abl., intellecto *de* vel *ex:* ablativo junctum quidem vides verbum *velle* Men. 2. 1. 41: sed ibi sic explendus: *quid de eo vis facere*, quae constructio frequentissime apud Plautum obviam fit.

Vs. 66. *ornamentis:* suspicor ludum inesse huic vocabulo, quod tam de vestibus (proprie mulierum et

Exornatum adducite ad me jam, ad trapezitam Aeschinum.
Sed properate. CH. Prius illic erimus, quam tu. PS. Abite ergo ocius.
Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet, nunc defaecatum est: cor mihi nunc pervium'st.
Omnes ordines sub signis ducam legiones meas,
Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia:

70. *nunc pervias.*

servorum) quam de fallaciis dicitur apud Plautum: cf. Poen. 1, 3, 16:

Jam et ornamentis meis et sycophantiis
Tuum exornabo villicum.

Quibus rebus Simia esset onerandus, videmus vs. 45.

Vs. 70. *pervium:* Mss. et editt. vett. fere *perviam:* utrumque recte dicitur: cf. Aul. 3. 2. 24. Monente Cd. Acad. procul dubio sic distinguendum:

Nunc defaecatum est cor mihi: nunc perviam'st.

Vs. 71. *ordines:* Boxhornii *ordine*, quamvis sententiae loci optime consulit, per metrum probare non licet. Sicuti huj. fab. 2. 1. 5, hic quoque *legiones meas* per asyndeton junguntur *ordinibus*, quo ulterius declaret poëta quid velit. Sic solet in metaphoris spectatorum tarditati subvenire. Nihil mutandum censeo.

Vs. 72. *avi sinistra.* Sic Epid. 2, 2, 1, ubi interpr. docent, quare sinistra dicantur *fausta.* Verum licet Cic. quoque de Div. II. 39, *Romanis sinistra, Grajis*

Confidentia est inimicos meos me posse perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis praeceptis Simiam,
Quid agat, ne quid titubet, docte ut hanc ferat fallaciam.
Jam ego hoc ipsum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

ACTUS TERTIUS SCENA PRIMA.

PUER.

Cui servitutem Di danunt lenoniam
Puero, atque eidem si addunt turpitudinem,

76. *lenocinium.* 1. *cui servientem dii. d. lenam.*

et barbaris dextra meliora videri affirmat, Romani tamen innumeris locis ad exemplum Graecorum sinistra habuerunt infausta, v. c. quando scriptores Romani Graecos inducunt: cf. Ovid. Her. 2. 115, ubi *avibus sinistris* in malem partem. Plautus igitur immemor, quod haud raro, personas suas agere in Graecia, in bonam partem utitur *avi sinistra.* Hinc fortasse *scaeva*, quae proprie est pars sinistra, sed deinceps pro quocumque omine dici coepit, in utramque partem usurpatur.

Vs. 75. *ne quid titubet*, ne qua in re incertus sit, vel ne quid peccet: *titubare* enim quamvis proprie pedes dicuntur, translatum tamen de quovis errore usurpatur, etiam de lingua erranti: cf. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 112; Westerh. ad Terent. Heaut. 2, 3, 120. — *Ferat*, quod habent Mss. et editiones, locum

Nae illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,
Malam rem magnam, multasque aerumnas danunt.
Velut haec mihi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis praefulcior.

suum optime tuetur, atque frustra sollicitatur. Pari modo enim legitur Poen. 1, 1, 67:

Hanc perdoceamus, ut ferat fallaciam.

Ubi nonnulli quoque malunt *serat;* Ter. And. 2, 6, 1 *fallaciam alicui portare;* ejusd. fab. 3, 1, 13, *fallacia mihi affertur;* Cic. Epp. ad Att. VII. 26 *fraudem ferre.* Itaque non opus est, cum viris doctis interpretari *proferre*, quod est Cas. 3, 5, 47:

Hera, atque haec dolum ex proxumo hunc protulerunt.

Vs. 3. *corde conspicio meo.* Nihil mutandum censeo. Saepius sic verba sensuum ad animum transferri, non est quod moneam. *Corde* additum prudenter, ut metaphora indicetur: Most. 3, 2, 13: *quo magis cogito ego cum meo animo*, ubi ne metaphora quidem adest, et apud Cic. de Senect. 5. *contemplari animo;* ad Div. VI. 3. *exitum video animo:* cf. Görenz. ad Cic. de Fin. II. 15.

Vs. 6. *miseriis praefulcior:* multi cum Acid. *ministeriis praefulcior*, reluctantibus quamvis Mss. et editt. Recte Bothius tuetur vulgatam, monens *columen familiae* dictum fuisse servum, Ter. Phorm. 2, 1, 57. Sed hoc ironice: citra jocum alterum Getam *solum omnem familiam sustentare* dicit Adelph. 3, 4, 35. Accedit, quod *ministerium* nusquam apud Plautum legitur, et *miseriis* recte explicari potest. *Praefulciri* enim dicitur, quicquid columen ac fulcrum sub-

Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo,
Qui amet me, ut curet tandem nitidiuscule.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies:
Interminatus est a minimo ad maxumum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc nescio hercle, rebus quid faciam meis.
Neque ego illud possum, quod illi qui possunt, solent:
Nunc nisi lenoni munus hodie misero,
Cras mihi potandus fructus est fullonius.
Eheu! quam illae rei ego etiam nunc sum parvulus!
Atque edepol ut nunc male eum metuo miser!

7. *ullum invenire.* 9. *hodie est.* 10. abest *est.* 12. *m. perdere.* 14. *ego pol i.* 17. *q. ille hercle ego.*

ditur alicui rei: cf. Pers. 1, 1, 12: *quin me suis negotiis praefulciat:* pari modo puer se dicit fulcrum praefulciri miseriis, quoniam sustinere, ferre, perferre magnas parvasque miserias debebat.

Vs. 8. *qui amet me, ut curet:* sic Mss. et editt. Alii conjiciunt *ut curer:* Bothius *et curet*, quod verius videtur. *Nitidiuscule curare* i. q. *molliter curare*, Poen. 3, 3, 80: cff. intt. ad huj. fab. 4, 7, 34: de nitore Gr. L. P. p. 56.

Vs. 13. *rebus quid faciam meis:* Cas. 5, 3, 1:

ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus scio.

Utroque loco *rebus meis* abundat.

Vs. 18. De hoc et sqq. vs. consulendus est Gron. Obss. III. 4., qui versum 18 tamen minus recte videtur cepisse; vertit secundum Douzam: atque ego,

Si quispiam det, quoi manus gravior siet,
Quanquam illud ajunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor posse aliquo modo:
Sed comprimenda est mihi vox atque oratio,
Herus eccum recipit se domum, et ducit coquom.

ACTUS TERTII SCENA SECUNDA.

BALLIO, COCUS, PUER.

Forum coquinum qui vocant, stulte vocant,
Nam non coquinum est, verum furinum est forum:
Nam si ego juratus pejorem hominem quaererem,
Coquum non potui, quam hunc quem duco, ducere,

utcumque male metuo eum fructum fullonium, si quis tamen det peculium, unde parem hero munus natalicium, quicquid dicant, id non fieri sine dolore, possum obdurare, et ab eo pati: (in Mss. enim et editt. legitur *qui* pro subditicio *quoi*). Manus ex quaestu graves intelligendas esse, ulterius docent loca a Gron. et Both. allata. Sed malim *eum* vs. 18 de lenone intelligi, non de fructu illo: melior prodit sententia. *Atque* pro *atqui* Plauto usitatum. Sensus igitur est: quam illi rei adhuc sum parvulus! atqui, ut nunc vehementer lenonem metuo miser! si (igitur) quispiam det, etc.

Vs. 4. *coquum non potui*, pro potuissem. Similiter Most. 3, 1, 46: *nunquam potuisti mihi*
Magis opportunus advenire quam advenis.
huj. fab. 4, 1, 9 *fuit* pro fuisset; alibi. Vs. 3. *quaererem* pro *quaesivissem*.

Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Ut esset hic, qui mortuis coenam coquat:
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.
CO. Si me arbitrabare isto pacto, ut praedicas,
Cur conducebas? BA. Inopia: alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquus,
Tu solus praeter alios? CO. Ego dicam tibi:

12. *t. s. post a?* CO. *e. dico tibi.*

Vs. 5. *multiloquum*, etc.: supple *magis*. In comparationibus saepe sic omittitur particula *magis* vel *minus*: Most. 1, 3, 43 intelligitur *minus:* cf. Rud. 4, 4, 70; Men. 5, 1, 26; Lips. Epist. Quaest. Lib. 5. Ep. 23. *Potius* quoque sic nonnumquam desideratur: cf. huj. fab. 1. 3. 8.

Vs. 6. *Orcus recipere noluit:* intt. a. h. l. adde Gron. L. P. p. 258. Eodem modo Lucilius, citatus Donat. ad Ter. Phorm. 2. 3. 26, *carcer* (pro *carcerario*), *vix carcere dignus.*

Vs. 7. *qui mortuis coenam coquat.* Objicit coquo, esse illum bustuarii ordinis, culinam mortualem egregie callentem, et prae ceteris idoneum ad parandas struices illas escarias, quae nono post mortem die defunctis apponebantur, quibus quantumvis insulsae atque insuaves displicere non poterant; gulae vero delicatae atque ingenuae haudquaquam illum satisfacere posse significat: cf. Grut. ad Aul. 2. 4. 45, ubi imperitus coquus ex eodem isto coenae feralis more *nundinalis* audit.

Hominum avaritia ego sum factus improbior coquus,
Non meopte ingenio. BA. Qua istuc ratione? CO. Eloquar:
Quia enim cum extemplo veniunt conductum coquom,
Nemo illum quaerit qui optumus, et carissumu'st:
Illum conducunt potius, qui vilissumu'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachmis issent miseri: me nemo potest
Minoris quisquam nummo ut surgam subigere.

17. *q. vilissimus hoc.* 19. *drachma.*

Vs. 18. *obsessor fori: obsidere* nonnumquam est *diu sedere, morari:* cf. West. ad Ter. Adelph. 4. 6. 6, et Liv. III. 50, ubi *obsidere* pro eo, quod in eodem cap. legitur, *insidere.*

Vs. 19. *illi drachmis issent:* sic Mss. vel *drachma essent*, vel *drachmis sent;* nec minus incerti interpretes: virorum doct. opinionibus de h. l., a Taubm. enotatis, adjungenda Salmasii, qui *de modo usur.* p. 67, mavult: *drachma essent.* Cum Bothio amplectendum censeo *drachma issent*, scil. conducti, cum *drachmis* per metrum stare non potest, nisi cum Steph., ordine inverso scribamus: *issent drachmis.* Gronovius, quod in edit. sua anteposuit, et recte explicavit, *drachmis issent*, in L. P. reliquit, ubi magna exemplorum vi persuadere suscepit, dignius esse *drachmis essent.*

Vs. 20. *nummo.* Nummus Plauto sine adjectione auri semper didrachmus est, sive stater: cf. Salm.

Non ego item coenam condio, ut alii coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt:
Eas herbas herbis aliis porro condiunt,
Indunt coriandrum,feniculum,allium,atrum olus,
Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,
Eo laserpicii libram pondo diluunt:
Teritur sinapis scelerata cum illis: qui terunt,

25. *coriandro*. 28. *sinapis celera.*

ad Epid. 1, 1, 52; Turneb. ad Truc. 2, 7, 11, et Gronov. de Pec. Vet. III. 3. p. 134.

Vs. 26. *blitum:* Plin. H. N. XX. 22: *Blitum iners videtur, ac sine sapore aut acrimonia ulla: unde convicium feminis apud Menandrum faciunt mariti.* Apud Plautum Truc. 4, 4, 1 meretrix dicitur *blitea* et *lutea*, i. e. barda, stupida et fatua: cf. Festus i. v. *blitum.* Inde forte Gallicum *belitre.*

Vs. 27. *eo diluunt:* i. e. eo laserpicii libram pondo, liquore aliquo dilutam, addunt. De laserpicio cf. Salm. ad Rud. 3, 2, 16. — *libram pondo:* libram ponderalem sic significabant veteres, ut distinguerent a libra mensurali. Qua de re plura dabit Gron. L. P. p. 323. sqq.

Vs. 28. *teritur sinapis scelerata:* Serv. ad Virg. Aen. IX. 486 legit: *feritur sinapis scelera*, quae, praeterquam in vitio manifesto primi voc., tuentur Mss., exhibentes *celera*, quod quomodo corruptum sit, neminem latet. Nihil mutandum: nam sive Servianum adsciscimus, sive vulgatam integram esse sinimus, jure locum suum obtinet. Obnitentibus quamvis Mss., Prisciani (in edit, Putsch. Lib. VI. p. 682.

Priusquam triverunt, oculi ut exstillent, facit:
Ei homines coenas sibi coquint. Cum condiunt,
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis intestina quae exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Cum hasce herbas hujusmodi in suum alvom congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo:
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
BA. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? CO. Audacter dicito:
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,

30. *coquut.* 32. *intestinaque excedunt.*

legitur *triverunt;* in antiquioribus vero, v. c. Venet. 1576, germanum *teruerunt*) auctoritate vs. sq. probandum puto antiquum *teruerunt* pro *triverunt*, de quo omnino vide Voss. de Art. Gramm. V. 30. *Scelera* est convicium in sinapim, ut apud Virg. Moret. 109.

Immeritoque furens dicit convicia fumo.

Vs. 31. *strigibus: strix* avis fabulosa jam a Plinio censetur Hist. Nat. XI. 95: » Infausta et abominata » gentibus omnibus, jam antiquis in maledictis fuit. » Sed quae sit avium, parum constat.'' Horat. Epod. 5. 20 *nocturnam strigem* vocat, et sic plures ominosam avem memorant: cff. int. a. h. l. et ad Prop. III. 4. 29; Heyn. ad Tib. I. 5. 52.

Vs. 34. *suum alvum*: minus pervulgatum *hic alvus:* vide tamen Serv. ad Virg. Aen. II. 51.

Vs. 40. *ducenos annos.* Philemonis locus, Lipsio

Meas qui esitabunt escas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut sipolindrum, aut macidem, aut sancaptidem,
Eae ipsae sese patinae fervefaciunt illico.
Haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt:
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria. BA. At te Juppiter
Diique omnes perdant, cum condimentis tuis.
Cumque tuis omnibus mendaciis.
CO. Sine sis loqui me. BA. Loquere, atque i in malam crucem.
CO. Ubi omnes patinae fervent, omnis aperio.
Is odos demissis pedibus in coelum volat:

42. *in patina scindidi.* 47. *apalopside*, *acataractria.*
48. abest *cum.*

citatus Ant. Lect. IV. 10, est in Menand. et Phil. Reliq. p. 332: Ἅπαντες οἱ φαγόντες ἐγένοντ' ἂν θεοί.
Ἀθανασίαν εὕρηκα· τοὺς ἤδη νεκροὺς
Ὅταν τι ὀσφρανθῶσι ποιῶ ζῆν πάλιν.

Et hic joculum videtur captasse poëta, quia nempe qui esitant, vivunt.

Vs. 44. *sese fervefaciunt:* Bothius *sese* metri causa delet, quo tamen carere non possumus. Salvum est metrum, modo, praeeunte edit. Steph., legamus *se*, et in *faciunt* synizesin admittamus: utrumque facile concedi existimo.

52. *demissis pedibus;* ejusdem generis est jocus hic, atque huj. fab. 1. 1. 121. videmus. *Demissis pedibus*,

Eum in odorem coenat Juppiter cotidie.
BA. Odor demissis pedibus? CO. Peccavi insciens.
BA. Quid est? CO. Quia enim demissis manibus volui dicere.
BA. Si nusquam is coctum, quidnam coenat Juppiter?
CO. It incoenatus cubitum. BA. I in malam crucem.
Istaccine caussa tibi hodie nummum dabo?
CO. Fateor equidem esse me coquom carissumum:
Verum pro pretio facio, ut opera appareat
Mea, quo conductus veni. BA. Ad furandum quidem.
CO. An invenire postulas quemquam coquum,

52. *dimissis.* 55. abest *enim.* 59. *fateor me esse coquum.* 62. *an tu i.*

scil. non ideo mirum atque inexspectatum lenoni accidit, quod inferos sic odorem coenaturos intelligebat, sed quia alterum illud *demissis manibus fugere* tralatitium et omnium sermone pervulgatum erat. Sic Epid. 3. 4. 16. *immo si audias*
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
Eadem fere notione dicimus *immittere habenas, rudentes:* cf. Victor. Var. Lect. XXI. 2.

Vs. 53. *eum in odorem:* Mss. sic, vel corrupte *eum modorem;* a quibus non deflectendum: nam idem fere est quod: *coenatum it in odorem, ad illum captandum.* Nolim tamen cum Periz. ad Sanct. Min. III. 3. p. 431, affirmare, *in* si absit, intelligendum fere esse: propter metrum tamen idem probat, exemplis-

Nisi milvinis aut aquilinis ungulis?
BA. An tu coquinatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis coenam coquas?
Nunc adeo tu qui meus es, jam edico tibi,
Uti nostra properes amoliri omnia:
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul:
Si quo hic gradietur, pariter progrediminor.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suum si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet, tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito; stabit, astato simul.

64. *conquinatum ire.* 70. *si hic quo — progrediminī.*

que firmat *coenare odorem. In* tamen versui molestum non videtur.

Vs. 63. *milvinis aut aquilinis ungulis*, de rapacissimis et furacissimis manibus dicitur, quae instar milvi et aquilae, voracissimarum avium omnia edulia rapiunt: cf. Poen. 5, 5, 13; in Men. 1, 3, 29 *milvinam suggerere* (scil. *famem* vel *cupiditatem*) est pro vehementissimam cupiditatem alicujus rei excitare, *rabidam facere orexin*, Juv. Sat. 6. 428.

Vs. 70. *progrediminor.* Nonnulli Mss. et editores *progredimino*, ἀρχαϊκῶς pro *progreditor:* laudant auctoritatem Festi, aliorum: recte, opinor. Qui contra dicunt, pluralem imperativi pro sing. usurpari, male defundunt Epid. 5. 2. 30, ubi unus tantum colligaturus erat manus, ambo vero arbitrarentur. In Epid. 2, 2, 78 pluralem numerum imperativi recte explicuit Taubm.

Si conquiniscet istic, ceveto simul.
Item his discipulis privos custodes dabo.
co. Habe modo bonum animum. BA. Quaeso, qui possim, doce,
Animum *bonum* habere, qui te ad me adducam domum?
co. Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem,

75. *conquiniscit i.*, *conquiniscito:* abest *simul.*
76. abest *his.* — *prius c. dato.* 77. *animum bonum.*
78. abest *bonum.* 79. *f. hodie ego te.* 80. abest *item.*

Vs. 75. *si conquiniscet istic*, etc. *Conquiniscere* est *cernuum se inflectere*, *inclinare: cevere* idem quod *conquiniscere:* intt. a. h. l. adde Salm. ad Cist. 4, 1, 15, Gron. L. P. p. 132.

Vs. 76. *privos custodes:* Gulielm. Veris. I. 4 pro *prius*, quod in omnibus Mss., legendum esse *privos*, facile persuasit.

Vs. 78. *bonum animum: bonum*, quamvis a Mss. abest, ab Acidalio, metro sententiaque suadentibus, recte additur.

Vs. 80. *Medea Peliam concoxit senex.* Duplex est fabula de Medea in hanc rem, altera de Pelia, venenis interfecto, altera de Aesone, iisdem recocto. Jocus est e festivissimis Plauti, si credere licet, de industria illum confudisse has fabulas in persona imperiti et gloriosi coqui, [non sentientis, se vera dicere. Vult enim coquus Ballionem juventuti restituere, sed fabulam male tenens, praedicat, se Ballionem concocturum, ut Peliam Medea recoxit, i. e. misere interfecturum: quod quamquam non ex opinione coqui,

Quem medicamento, et suis venenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum:
Item ego te faciam. BA. Eho, an *tu* etiam veneficus ?
CO. Immo edepol vero hominum servator magis.
BA. Hem mane. Quanti istuc unum me coquinare perdoces ?

83. abest *tu*. 84. *i. e. non h.*

tamen magis ex vero erat. Talia fere quoque speciose Gron. L. P. p. 260. Unus tamen obstat locus Cic. de Sen. 23. *Neque me tamquam Peliam recoxerit*, i. e. mihi florem juventutis restituerit, ex quo recte videtur conficere Freherus, depravate fabulam illam vulgatam fuisse, et proverbii instar factam esse locutionem, *aliquem tamquam Peliam recoquere*. Petronii *anus recocta vino, trementibus labellis*, metuo, ut persuadeat Gron., de *cruda et viridi senectute* intelligendum esse: Vide Scal. Castt. in Catull. p. 39; Barth. Adv. XXXIII. 4. Ceterum *concoquere* plane diverso sensu dicitur Trin. 2, 1, 2:

egomet me concoquo, et macero, et defetigo.

Vs. 83. *an tu etiam:* melius abest *tu*, quod in Mss. non comparet, nec invitis numeris tollitur; sensus est: fur es, sicut omnes coqui; num praeterea etiam veneficus?

Vs. 85. *Hem mane*: ineptum hoc *mane;* nam orationis contextus nos non sinit fingere, coquum re infecta abire voluisse. Accedit, quod metro molesta est vocula; qua deleta, si auctoritate edit. Steph. *me* quoque subditicium credere licet, tum demum versus numeris suis absolutus prodit.

CO. Quid? BA. Ut te servem, ne quid surripias mihi.
CO. Si credis, nummo; si non, ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie, an inimicis tuis
Daturus coenam? BA. Pol ego amicis, scilicet.
CO. Quin tu illos inimicos potius, quam amicos vocas:
Nam ego ita convivis coenam conditam dabo
Hodie, atque ita suavitate condiam,
Ut quisque quicque conditum gustaverit,
Ipsos sibi faciam ut digitos praerodat suos.
BA. Quaeso hercle, priusquam quicquam convivis dabis,
Gustato tute prius, et discipulis dato,
Ut praerodatis vostras furtificas manus.
CO. Fortasse haec tu nunc mihi non credas quae loquor.
BA. Molestus ne sis, nimium jam tinnis, non places.

87. *si reddidis numos meos ne metuas quid.*
92. *suaviter conditam.* 96. *gusta tute.*

Vs. 87. *si credis nummo*, etc: si mihi credis, me per tuam domum meo arbitratu commeare sinis, hominem alieni abstinentem ducis, hoc te docebo nummo: (sic enim non observatus, furari poterat) si vero mihi fides non habes, meque observari jubes, non vel mina te docebo (omni scil. furandi occasione sublata).

Vs. 90. *illos:* suadentibus Pareo in Anal. Plaut. et Pistor., metro dandum *illo* pro *illuc*, quo nihil frequentius.

Vs. 99. *jam* quoque metro adversatur, natum ut videtur ex *ium* praec. syllabae.

Hem, illic ego habito: intro huc abi, et coenam coque
Propere. co. Quin is accubitum, et convivas cedo:
Corrumpitur jam coena. BA. Hem, subolem sis vide!
Jam hic quoque scelestus est coqui sublingio.
Profecto quid nunc primum caveam nescio:
Ita in aedibus sunt fures: praedo in proxumo est.
Jam a me hic vicinus apud forum paulo prius
Pater Calidori opere petivit maxumo
Ut mihi caverem a Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem. Nam eum circumire in hunc diem,

100. abest *huc*. 102. *subdolet*. 103. *est coquus ut conjicio*. 106. *j. mihi hic v.* 107. *o. fecit m.*

Vs. 101. *et convivas cedo:* melius mihi sic sonat versus, quam probata Acidalii emendatione: *i, convivas cedo*. *Quin* cum indic. h. l. solitam vim imperat. habet.

Vs. 102. *subolem vide: suboles* hic in contemtum dicitur de coquorum propagine, ut *genus* et *natio* apud Cic. et alios.

Vs. 103. *est coqui sublingio*, qui a coquo patinas ligurire didicit, absentis vicarius, praesentis socius. Nec male Cd. Acad. juvante Steph.

Vs. 106. *jam.* Acid. probante Bothio, *nam*, quod verius videtur. — Pro *a me* multi libri *mihi*, unde Camerar. restituit *me:* in edit. Steph. absunt. — *Apud forum*, ut Epid. 2, 2, 67, *apud Thebas* pro *Thebis*.

Ut me si posset muliere intervorteret:
Eum promisisse firmiter, dixit, sibi,
Sese abducturum a me dolis Phoenicium.
Nunc ibo intro, atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quicquam credat Pseudolo.

ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS, SIMIA.

Si unquam quenquam Di immortales voluere esse auxilio adjutum,
Tum me et Calidorum servatum volunt esse, et lenonem extinctum:
Cum te adjutorem genuere mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? sumne ego homo insipiens, qui haec mecum egomet loquor solus?
Dedit verba mihi hercle, ut opinor: malus cum malo stulte cavi.

110. *ut a me, s. p. mulierem.* 1. *auxio advictum.*

Vs. 1. *adjutum, tum me* etc. Suspicati sunt viri docti, *tum* ortum esse ex ultima verbi *adjutum*, igitur delendum. Nihil forte mutandum.

Vs. 5. *malus cum malo stulte cavi. Cavere cum aliquo* eadem ratione dicitur pro *cavere aliquem*, ac *captare cum aliquo* pro *captare aliquem*, Most. 5, 1, 21; *orare cum aliquo* saepius; *osculari cum aliquo*, Mil. 2, 2, 88 et 109. Cf. Most. 5. 2. 21.

Tum pol ego interii,homo si ille abiit : neque hoc opus quod volui , ego hodie efficiam.
Sed eccum video verbeream statuam:ut magnifice infert sese !
Hem , te hercle ego circumspectabam : nimis metuebam male , ne abiisses.
SI. Fuit meum officium ut facerem,fateor. PS. Ubi restiteras ? SI. Ubi mihi libitum est.
Istuc ego jam satis scio. SI. Cur ergo quod scis , me rogas ? PS. At hoc volo monere te.
SI. Monendus ne me moneat. PS. Nimis tandem ego abs te contemnor.
SI. Quippe ego te ni contemnam , stratioticus homo quî cluear ? PS. Jam
Hoc volo quod occeptum'st, agi. SI. Nunquid agere aliud me vides ?
PS. Ambula ergo cito. SI. Immo otiose volo. PS. Haec ea occasio est : dum ille dormit,

7. *eccam*. 10. absunt *ego jam*. 12. *quidni ego te contemnam*. 13. *nunc quid*.

Vs. 9. *restiteras*, v. c. colloquendi gratia: Cic. ad Att. II. 24 *negabat, se umquam cum Curione restitisse.*

Vs. 12. *quippe ego* etc. Minus recte intellectus vulgo videtur versus; quoniam omnes editiones, quas equidem vidi, tenentes *qui*, nec ut oportet *quî*, conjungere videntur *quippe-ni* pro *quippini:* sed sensus esse videtur: nam quomodo tandem ego stratioticus homo audiam, nisi te contemnam. Unde videmus, antiquissimum esse fastidium militare.

Vs. 14. *haec ea occasio est:* elegantem formulam

Volo tu prior ut occupes adire. SI. Quid properas? placide:
Ne time: ita ille faxit Juppiter, ut ille palam ibidem assiet.
Quisquis ille est, qui adest a milite, nunquam edepol erit ille potior
Harpax, quam ego. Habe animum bonum: pulchre ego hanc explicatam tibi rem dabo:
Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo
Militarem advenam, ipse sese ut neget eum esse qui siet,
Meque ut esse autumet, qui ipsus est. PS. Qui potest? SI. Occidis me,
Cum istuc rogitas. PS. O hominem lepidum! te quoque etiam dolis
Atque etiam mendaciis Juppiter te mihi servet.

15. *quin properas.* SIM. *p.* 21. *nec ut esse.*

dicit Ruhnk. ad Ter. And. 4, 4, 48, cum ἐμφάσει loquentium, et magni quid ostendere cupientium: cf. Drakenb. ad Liv. II. 6. 7.

Vs. 23. *o hominem lepidum*, etc. Arduum est hos versus expedire, quod Acidalio, Div. in Pseud. c. 6. non prospere cessit. Hoc dicere videtur Pseud.: O te quoque lepidum dolis et mendaciis: Jupiter te mihi servet. Putaverat Pseud. se unicum esse in his dolis magistrum: invenit parem. Sin vero ex auctoritate edit. Steph. post *Juppiter* abjicere licet *te*, ex salebroso planus fit locus, et jocus ἐξ ἀπροσδοκήτου prodit. Pseudolus scil. sycophantae gloriationem et fastidium

SI. Immo mihi: sed vide, ornatus hic satis me condecet?
PS. Optume habet. SI. Esto. PS. Tantum tibi boni Di immortales duint,
Quantum tu tibi optes: nam si exoptem quantum dignus, tantum dent,
Minus nihilo est. Neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum,
Et maleficum. SI. Tun' id mihi? PS. Taceo: sed ego quae tibi dona
Dabo et faciam, si hanc rem sobrie accurassis! SI. Potin' ut taceas?

24. *me satis.* 26. abest *tu.* 29. *sobrie rem.*

aegre ferens, hoc videtur dicturus: (quod tu de milite jactas) te quoque dolis et mendaciis Jupiter *in timorem det*, sed inexspectatum auditur *mihi servet*, qnod magis e re sua. Steph. versus hujus scen. alio modo dimensus, hunc numeris suis non restituit.

Vs. 25. *optime habet*, pro: *optime se habet*, non ornatus, sed res scil. Quamquam minus usitatum hoc, recte tamen dicitur: Ter. Adelph. 3, 3, 11 est dubiae lectionis; Juv. Sat. 10, 72; Cic. pro Mur. 6. *Bene habet, jacta sunt fundamenta defensionis.*

Vs. 28. *dona dabo et faciam.* Douza *dona facere* Plauto indignum judicans, corrigit *bona facere.* Quoniam vero invitis Mss. optima quaeque reponere non licet, malim conjungere *dona* cum solo verbo *dabo*, ut *faciam* sit adjectum, sicuti *damni* huj. fab. 1, 5, 25, ubi vide, quae dicta sunt. Douzae parum favet Most. 1, 3, 27. *infecta dona facio.*

Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit. Teneo omnia,
In pectore condita sunt: meditati sunt doli docte. PS. Probus hic est
Homo. SI. Neque hic est, neque ego. PS. At vide ne titubes. SI. Potin' ut taceas?
PS. Ita me Dii ament. SI. Ita non facient, mera jam mendacia fundes.
PS. Ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo et metuo, et magnifico!
SI. Ego istuc aliis dare condidici: mihi obtrudere non potes palpum.

Vs. 31. *probus hic est homo:* haec tacite secum Pseudolus, ita ut tamen exaudiat Simia. Ludit, ut solet, ambigua significatione vocis *probus:* nam Pseudolus propter ea, quae ex Simia audiverat, animum inducit, ut illum utibilem, idoneum hominem dicat (Poen. 3, 3, 67; Cas. 5, 4, 2; huj. fab. 4. 2. 14). Simia vero pro *bonus* accipit.

Vs. 33. *ita me Dii ament:* apodosin sententiae occupavit Simias, dicens: *mera mendacia fundes:* continuat tamen orationem Pseudolus vs. sq., ac si nihil sibi interlocutus esset Simia: quod non intelligentes interpretes, admirationis signum adposuerunt. Similiter fortasse vs. 36.

Vs. 35. *obtrudere palpum*, *palpari*, *palpo percutere*, proprie est molli, blanda manu contrectare: hinc pro adulari, blandiri, adulando decipere: cf. Rud. 1, 2, 38, *hominem malum*, *perjurum*, *palpatorem*. Turn. ad Amph. 1, 3, 9.

PS. Ut ego te hodie accipiam lepide, ubi effeceris hoc opus! SI. ha ha he!
PS. Lepido victu, vino, unguentis, et inter pocula pulpamentis:
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quae det.
SI. Lepide accipis me. PS. Immo si efficis, tum faxo magis dicas.
SI. Nisi effecero, cruciabiliter carnufex me accipito.
Sed propera mihi monstrare ubi ostium lenonis aedium.
PS. Tertium hoc est. St. St! tace, aedes hiscunt. PS. Credo animo male'st
Aedibus. SI. Quid jam? PS. Quia edepol ipsum lenonem evomunt.
SI. Illiccine est? PS. Illic est. SI. Mala merx est. PS. Illuc sis vide,
Non prorsus, verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet.

39. *dicas magis.* 44. *merces.* 45. *prohorsus* — *cede.*

Vs. 37. *pulpamentum:* cff. intt. ad Stich. 5, 4, 31; Donat. ad Ter. Eun. 3, 1, 36.

Vs. 44. *illuc sis vide:* post haec verba non plenius est distinguendum, nam jungenda sunt cum sqq. *Illuc* pro *illud,* non pro *illo.* Admodum friget, quod finxit Bothius: *mala merx est Pseudole, illuc sis vide.*

Vs. 45. *non prorsus* etc. Cas. 2, 8, 7:

Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.

ACTUS QUARTI SCENA SECUNDA.

BALLIO, PSEUDOLUS, SYCOPHANTA.

Minus malum hunc hominem esse opinor, quam esse censebam coquum:
Nam nihil etiam dum harpagavit, praeter cyathum et cantharum.
PS. Heus tu, nunc occasio est et tempus. SY. Tecum sentio.
PS. Ingredere in viam dolose: et ego hic in insidiis ero.
SY. Habui numerum sedulo, hoc est sextum a porta proxumum

4. *dolis et hic insidiis.* 5. *habui nimirum Pseudolo.*

i. e. cancrum. *Prorsus cedere* est recta procedere, ire: *prorsum* enim antiqui *rectum* appellabant: Donat. ad Ter. And. 3, 2, 30; Fest. i. v. *prorsus:* hinc *oratio prosa* pro *prorsa*, quasi *porro* usque ad marginem semper *vorsa*, quae opponitur *versae*, cujus versus plerumque ante desinunt, quam ad marginem perveniant: cf. Gr. L. P. p. 136 sqq., et Periz. ad Sanct. Min. IV. 17. p. 1027, et IV. 4. p. 774.

Vs. 5. *habui numerum:* i. e. habui rationem. *Habere* cum substantivo saepissime gaudet significatione verbi, huic substantivo cognati: *numerum habui* igitur pro *numeravi*, *numerum*, *rationem cepi:* cf. supra 2, 2, 2: sic *habere expurgationem* pro *expurgare*, Merc. 5, 3, 4; *habere edictionem* pro *edicere*, Pseud. 1, 2, 39, et similia.

Angiportum :, in id angiportum me devorti jusserat;
Quotumas aedes dixerit, id ego admodum incerto scio.
BA. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quaeritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.
SY. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quaero, certius.
BA. Ad me adit recta: unde ego hominem hunc esse dicam gentium!
SY. Heus tu, qui cum hirquina astas barba, responde, quod rogo.
BA. Eho, an non prius salutas? SY. Nulla est mihi salus dataria.
BA. Nam pol hinc tantundem accipies. PS. Jam inde a principio probi.

7. *quo tum has.* 10. *qui est certo facit.* 12. *h. stas b.* 14. abest *hinc* — *probus.*

Vs. 6. *angiportum*, vel *angiportus* est via angusta inter *portus*, ut veteres dicebant, i. e. domos vel insulas. Vid. Donat. ad Ter. Adeph. 4, 2, 39. et intt. ad Fest. in vocibus *angiportus* et *portum*.

Vs. 12. *hirquina barba*, pro convitio objecta: exemplis firmant intt. a. h. l. Adde Men. 5. 2. 101, ubi dubium esse non potest, quin *barbatus* contumeliose dicatur senex.

Vs. 14. *Nam hinc tantundem accipies. Nam* hic videtur *παρέλκειν*: verum sic fortasse supplenda oratio: bene dicis: bene est; nam pol nisi prius salutas, hinc

SY. Ecquem in angiporto hoc hominem tu novisti ? te rogo.
BA. Egomet me. SY. Pauci istuc faciunt homines, quod tu praedicas.
Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.
PS. Salvos sum : jam philosophatur. SY. Hominem ego hic quaero malum ,
Legirupam, impium, perjurum, atque improbum. BA. Me quaeritat :
Nam illa sunt cognomenta, nomen si memoret modo.

15. *tu non vidisti.*

tantumdem accipies. — *probi.* Lamb. in suis videtur legisse *probus*, quod et Cd. Acad. et edit. Steph. habent. Utrumque recte dicitur : *probi* enim pro *probe*, quoniam nihil frequentius hoc aevo, quam *e* et *i* in terminationibus, dativi inprimis et abl., promiscue usurpatae: cf. Osann. Anal. Crit. p. 123, et 192; Both. ad Capt. Prol. 15. in hac fab. 4. 7. 79, et 5. 1. 8.

Vs. 18. *jam philosophatur :* sic Capt. 2, 2, 34.

Salva res est : philosophatur quoque jam, non mendax modo est.

Philosophari apud Plautum est inter jocos seria loqui, et fere sophistarum more argutari, captare. Merc. 1, 2, 36. Sic Rud. 4, 3, 47 *philosophe.* Hic tamen et Capt. loco *philosophari* dici videtur veterator, qui sermonibus seriis alium decipere studet.

Vs. 20. In edit. Steph. *cognomenta mihi*, quod per metrum abesse non potest. Idem sentit Bothius, qui de suo addidit *mi.*

Quid est ei homini nomen? SY. Leno Ballio. BA. Scivin' ego?
Ipse ego is sum, adolescens, quem tu quaeritas. SY. Tune es Ballio?
BA. Ego enimvero is sum. SY. Ut vestitus est perfossor parietum!
BA. Credo in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.

21. SY. *leno B.* BAL. *sum ego ipse.*
22. *ego sum adulescens.* 23. *ego enim is sum.*

Vs. 22. *adolescens:* hoc fere vocabulo utuntur in his fabulis, qui alloquuntur ignotos, quamvis jam grandiores natu: vide Curc. 3 vs. 29; Men. 2. 2. 11 et 15; huj. fab. 2. 2. 21; 4. 7. 38 et 42, alibi. Vulgo perperam distinguitur: *ipse ego is sum adolescens;* quod ferri nequit: leno enim jam senex erat: cf. 4. 7. 93.

Vs. 24. *credo in tenebris*: hic versus, qui nullam molestiam videtur creavisse viris doctis, me diu moratus est, cum frustra conatus sum satis commodum sensum elicere: sycophantae leno tecte latrocinium objicere videtur; ob praemissum *credo* forte sic ironice explicandus versus: quamvis tam splendide sum vestitus, tamen abstineres manum, non spoliares, opinor, si in tenebris me conspicatus esses. Monent enim Scal. et Turn., h. l. ab intt. laudati, versicolorem habitum tribuisse lenonibus veteres, et raso capite in scenam induxisse; Rud. 5. 2. 16. Sed Simiae exclamatio *ut vestitus est* etc. magis idonee intelligitur de nitidiore vestimento, quo leno natali suo utebatur. Quod autem animadvertit Bothius, sycophantam fin-

SY. Herus meus tibi me salutem multam voluit dicere.
Hanc epistolam accipe a me, hanc me tibi jussit dare.
BA. Quis is homo'st qui jussit? PS. Perii, nunc homo in medio luto est,
Nomen nescit: haeret haec res. BA. Quem hanc misisse ad me autumas?
SY. Nosce imaginem, tute ejus nomen memorato mihi,

gere se mirari vestitum lenonium, tamquam hominem militarem, qui in castris usque habitarit, moresque urbanos ignoret, nimis longe videtur petitum. Sed ne sic quidem illustrata placet sententia male tornata. Suspicor, Plautum pro *credo* scripsisse *cedo*, quod egregiam praebet sententiam, atque haud prorsus dissimili firmatur Merc. 3. 4. 69. Et quamquam non nescio, sic hiantem versum objici, vix commoveor, quoniam post voces *hercle*, *quaeso*, et similes quae interjectionum fere vice funguntur, haud semel hiatus deprehenditur: cf. Lindem. in disput. *de vetere Lat. ling. prosodia*, praemissa editioni trium fab. Plaut. p. XXI. Neque habet constructio: *conspicatus si sis — abstineas*, pro *conspicatus si esses — abstineres*, in quo offendamus: similiter Most. 3, 1, 28, *dicam, si confessus sit*, pro *dicerem, si confessus esset*; Asin. 2, 3, 13 *si sit domi, dicam tibi*, pro *si esset domi, dicerem tibi*, et sic in aliis sexcentis.

Vs. 27. *in medio luto est:* cf. Pers. 4, 3, 66, *in luto haerere*.

Ut sciam te Ballionem esse ipsum. BA. Cedo mihi epistolam.
SY. Accipe, cognosce signum. BA. Oho! Polymachaeroplacides
Purus putus est ipsus: novi: heus! SY. Polymachaeroplacides
Nomen est: scio jam tibi me recte dedisse epistolam,

Vs. 31. *cognosce signum:* vs. 29 *nosce imaginem*, scil. signo expressam, quae erat symbolum convertum.

Vs. 32. *purus putus est ipsus*: *putus* i. q. *purus:* cf. Fest. i. v., laud. ab intt. Ducta tamen metaphora non est a vineis, quae putantur quidem sine dubio, i. e. reciduntur: sed *putare*, i. q. purum vel putum facere, vox propria est lanificio, ubi lana putatur, quando caritur et carminatur, per pectines trahitur, ut purgetur: Graece κροκοδύζειν: cf. Scal. Cast. in Tib. I, 6, 80. *Putare rationem* vel *rationes* apud Plautum saepius pro liquidas facere, expedire, secreto credito debitoque. Graece ἐκκαθαίρειν λογισμόν: Aul. 3, 5, 53; Most. 1, 3, 141; Trin. 2, 4, 15: *rationem secum putare* translatum pro deliberare, cogitare, meditari, Cas. 3, 2, 25.

Vs. 31—33. Bothius haec sic ordinat: Bal. (secum) *eho! Polymachaeroplacides purus putus est ipsus, novi:* (ad sycophantam) *heus! Polym. nomen est.* Sim. *Scio jam* etc. Minus recte tamen hoc videtur: quod enim primum dicit Simia: *Polym. nomen est*, tacite secum effert, ut longius illud nomen bene memoriae mandet: neque aliam ob causam idem nomen vs. sq. videtur repetere.

Postquam Polymachaeroplacidae elocutus nomen es.
BA. Sed quid agit is? SY. Quod homo edepol fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quaeso epistolam, ita negotium est,
Atque accipere argentum actutum, mulieremque mihi emittere.
Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exequi:
Ita herus meus est imperiosus. BA. Novi, notis praedicas.
SY. Propera pellegere epistolam ergo. BA. Id ago, si taceas modo.
Miles lenoni Ballioni epistolam

34. abest *es.* 38. *necesse est.*

Vs. 38. *mortem exequi:* i. e. ferre, subire: Capt. 2, 1, 1. *aerumnam exsequi;* Trin. 3, 2, 60 *exsequi egestatem.*

Vs. 39. *imperiosus* plerumque in malam partem dicitur, pro nimis severo, tyrannico, saevo. Sic L. Manlius, qui filium suum Titum, nullius probri compertum, rus relegat, atque in ergastula dedit, apud Liv. VII. 3. sq. *Imperiosi* cognomen habet: filius hujus Titi *Imperiosus* audit, Liv. IV. 29, quia consul filium, contra patris edictum castris egressum ad pugnandum, quamvis victorem securi percuti jussit. Hinc *imperia Manliana* in proverbium abierunt: cf. id. ibid., et Cic. de Fin. II. 32. — *notis* active pro iis, qui noverunt: cf. Hott. ad Cic. in Verr. Lib. I. 7.

Conscriptam mittit Polymachaeroplacides,
Imaginem obsignatam, quae inter nos duo
Convenit olim. SY. Symbolum est in epistola.
BA. Video, et cognosco signum: sed in epistola
Nullam salutem mittere ne scriptam solet?
SY. Ita militaris disciplina est, Ballio:

46. abest *ne*.

Vs. 43. *imaginem obsignatam:* sic Mss. omnes; ferri tamen nequit: corruptum esse et scribendum *imagine*, 4. 7. 105 palam facit: ex quo versu, collato cum 4. 6. 30, discimus, imaginem ex annulo expressam, symbolum conventum fuisse: recte igitur Simia vs. sq. dicit: *symbolum est in epistola:* i. e. ei superimpositum est. *In* igitur valet *super*. In Steph., versus aliter dispertita, *epistolam* vs. 41. abest.

Vs. 46. *mittere ne scriptam solet:* interrogativum *ne* sic insolenter sede sua remotum, habet, in quo offendamus; nisi vero h. l. idem statuere licet, quod huj. fab. 1. 1. 124, *mittere* ultimam producere propter trinas, a quibus vox sq. incipit, consonas, inviti ut tueamur *ne* metrica cogit ratio, suadentibus quamvis Cd. Acad. et ed. Steph., ut ejiciamus: verum haec pravo tetrametro: (incipiunt senarii inde a sq. vs.)

Sed in epistola nullam salutem mittere scriptam solet. cui tamen *ne* mederi non potest, nisi post *nullam* insertum. Accedit, quod haud semel Plautus *ne* proprio loco pellens, in alienum, licet non longe distantem, intrudit: cff. Most. 2. 2. 89, *sed tu etiamne astas;* Curc. 1. 1. 18 *et heri coenavistine;* Cas. 2. 5. 10 *cum uxorene mea;* Mil. 3. 1. 92.

Vs. 47. *militaris disciplina est:* pro consuetudine,

Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed ut occepisti, perge operam experirier,
Quid epistola ista narret. BA. Ausculta modo.
Harpax calator meus est, ad te qui venit.
Tune is es Harpax? SY. Ego sum, atque ipse
Harpax quidem.

53. *tune es H.* — abest *atque.*

more, ratione agendi, saepe apud comicos reperitur vox *disciplina*: cf. Asin. 1. 3. 49; Ruhnk. ad Ter. Heaut. 2, 3, 59.

Vs. 50. *operam experirier.* Cum Lipsio puto corrigendum *opera experirier*, quae est locutio Plauto usitata, v. c. Capt. 2, 3, 65 et 69, Trin. 4. 1. 7., et h. l. auctoritate edit. Steph. confirmata. *Perge operam experirier* fere significaret: perge facere experimentum operae tuae, in legenda epistola positae, Merc. 4. 4. 29, et ni fallor intelligendum esset de lenone, bene legere nesciente: contra *opera experirier*, i. e. legendo, opponitur τῷ experirier interrogando, quod facere inceperat leno. Sycophanta enim metuens, ne titubaret, atque fallaciam proderet lenoni interroganti super milite, cujus res non noverat, monet lenonem, ut opera potius, quam auditione experiatur, quod sua scire intersit.

Vs. 53. Sic Bothius: Sim. *Ego sum.* Bal. *Atque iste Harpax quidem, qui epistolam* etc. haec igitur sententia prodiret: Harpax calator meus est, ad te qui venit. Atque iste Harpax quidem, qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi volo. Parum venuste hoc

BA. Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi,
Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere:
Te si arbitrarem dignum, misissem tibi.
SY. Quid nunc? BA. Argentum des, abducas mulierem.
SY. Uter remoratur? BA. Quin sequere ergo intro. SY. Sequor.

ACTUS QUARTI SCENA TERTIA.

PSEUDOLUS.

Pejorem ego hominem magisque vorsute malum
Nunquam edepol quenquam vidi, quam hic est Simia.
Nimisque ego illum hominem metuo et formido male,

54. *accipies.* 55. *cum eo simul.* 56. *salutem dignum.* 59. *moratur.*

quidem. Contra servato ordine vulgato, sic se habet: qui venit ad te, qui epistolam istam fert, est calator meus Harpax: ab eo argentum accipi volo. Verba *atque ipse Harpax quidem* tantopere se commendant, ut mutare nihil opus sit: aptissima enim sunt personae Simiae, cui nihil magis cordi est, quam lenonem in errorem inducere, asserendo se Harpagem esse ipsissimum. *Atque quidem* pro *immo vero*, satis notum. Unum exemplum citasse sufficiat Mil. 2, 4, 15.

Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit,
Ne in re secunda nunc mihi obvortat cornua,
Si occasionem capsit, qui siet malus.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maxumo, triplici modo:
Primum omnium jam hunc comparem metuo meum,
Ne deserat me, atque ad hostis transeat.
Metuo autem ne herus redeat etiam dum a foro,
Ne capta praeda capti praedones fuant.
Cum haec metuo, metuo ne ille huc Harpax adveniat,

6. *ceperit cautios est, qui sit.* 12. *fiant.*
13. *tum hoc metuo, ne ille h. H. veniat.*

Vs. 5. *obvortat cornua: obvertere cornua* est more animalium cornutorum aliquem impetere, in aliquem incursare, infensum se alicui ostendere.

Vs. 7. *atque equidem nolo*, scil. malus esse erga illum: *atque* pro *atqui* vel *tamen*. Metus, ne a Simia circumducatur, hoc ex eo extorquere videtur. Non audet contra facere, veritus Deos, ne ob ingratum animum ipsum deserant, quos sibi conciliare atque placare studet dicens, se Simiae bene velle; quo sibi persuadere vult, Simiam erga se malum esse non posse. Steph. annuente Cd. Acad.

Si occasionem ceperit: nam cautio est,
Qui sit malus: atque edepol equidem nolo:

Vs. 11. *etiam dum:* nihil opus est conjectura Gulielm.; nam germanum est hoc, et valet *nunc jam:* vide Rud. 5. 3. 25; huj. fab. 4. 2. 2.

Vs. 13. *adveniat:* Bothius *advenat* metri causa:

Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii hercle ! nimium tarde egrediuntur foras.
Cor colligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum : vici cautos custodes meos.

ACTUS QUARTI SCENA QUARTA.

SYCOPHANTA, PSEUDOLUS.

Ne plora: nescis ut res sit, Phoenicium;
Verum haud multo post faxo scibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedoniensem, qui te nunc flentem facit.
Quojam esse te vis maxume, ad eum duco te:
Calidorum haud multo post faxo amplexabere.
PS. Quid tu intus quaeso desedisti? quamdiu
Mihi cor retunsum'st oppugnando pectore!

15. *tandem e. f.* 16. *cum colligatis v. exspectabo eum.* 18. *fugiat.* 4. *qui lenonem flentem.* 5. *cujam te esse.*

sed Osann. Anal. Crit. p. 134 sq. magna exemplorum vi probavit, pedem trisyllabum in senarii fine duas syllabas sonare in pronunciatione: cf. Asin. 4. 1. 36; Truc. 3. 2. 14; Trin. 1. 2. 3, et 56, alibi.

V. 19. *victor sum*, vici, *ἐνίκησα*, exclamat Pseud., viso Simia, mulierem educente. Contra *occidi*, *perii.*

Vs. 7. *desedisti:* desidere est *otiosum esse*, *nihil agere;* hinc *deses*: cf. Ter. Hec. 5. 3, 2.

Vs. 8. *cor retunsum'st;* cor oppugnabat pectus Pseu-

SY. Occasionem repperisti, verbero,
Ubi perconteris me insidiis hostilibus?
Quin hinc metimur gradibus militariis.
PS. Atque edepol, quanquam nequam homo es, recte mones.
Ite hac triumphi ad cantharum recta via.

10. *in insidiis hostibus.* 13. deest, ut et in Steph.

dolo, quia prae metu inde volebat aufugere (scen. praec. vs. 18): pectus autem cor retudit, impetum cordis retudit. *Oppugnare* valet i. q. *pugnis percutere*, ut Cas. 2. 6. 60 *oppugnare os*, pro *pugno os percutere.*

Vs. 9. sq. Pseudolo dans hos versus, male videtur intellexisse Bothius: imo ut nunc se habent, eximiam produnt sententiam, modo interrogando eos efferas. Sensus est: putasne, verbero, opportunum te locum repperisse, ubi me percuncteris, dum hostes insidiantur? quin magnis passibus abire properamus. De abl. *insidiis hostilibus* pro *in insidiis hostilibus*, vel *dum hostes insidiantur*, cf. Cic. de Senect. 18, ubi pari modo *ludis*, pro *in ludis*, vel *dum ludi agebantur:* plura vide exempla apud Kort. ad Cic. ad Div. VI. 1. et VII. 18. *Nihil te ad me postea scripsisse demiror, praesertim tam novis rebus.*

Vs. 11. *metimur gradibus militariis*, scil. viam, pro *grandi gradu abimus:* vide Gron. L. P. p. 266 sq. hoc exemplis illustrantem. *Gradus militares* esse magnos, evincit Epid. 1. 1. 11, ubi servus ad conservum, a militia reducem:

Di immortales infelicent, ut tu es gradibus grandibus!
et mox: *scio, te esse quidem hominem militarem.*

ACTUS QUARTI SCENA QUINTA.

BALLIO.

Ha hae! nunc demum mihi animus in tuto est loco,
Postquam iste hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Mihi libet nunc venire Pseudolum, scelerum caput,
Et abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis satis certe scio
Ego perjurare mavellem me millies,
Quam mihi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, si convenero.
Verum in pistrinum, credo, ut convenit, fore.
Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut mea laetitia laetus promiscam siet.

3. abest *mihi*. 10. *venire*. 11. *promiscua*.

Vs. 3. *mihi* in plurimis libris abest, metro obest.

Vs. 9. *ut convenit*, ut pactum est inter servum et herum, non inter me et Simonem, ut accepisse video Lamb.: cf. 1, 5, 120 sqq. — *fore* scil. *tractum*, vel *conditum*, quod facile intelligitur: cf. Epid. I. 2. 42. *tu te in pistrinum*, scil. *condas*, ubi de pistrinis vide Scal.

Vs. 11. *promiscam*: *promiscam* dicebant *promiscue*, inquit Fest. i. v. ubi vide intt. Plures tamen Mss. et omnes editi *promiscua;* est etiam, qui exhibet *promisca*.

ACTUS QUARTI SCENA SEXTA.

SIMO, BALLIO.

Viso quid rerum meus Ulysses egerit,
Jamne habeat signum ex arce Ballonia.
BA. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo! SI. Quid est? BA. Jam. SI. Quid jam?
BA. Nihil est quod metuas. SI. Quid est,
Venitne homo ad te? BA. Non. SI. Quid est igitur boni?
BA. Minae viginti sanae ac salvae sunt tibi,
Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus.

1. *quid servus meus.* 5. abest *est.*

Vs. 1. *Ulysses.* Bacch. 4, 9, 16 Chrysalus servus se ipsum Ulyssem appellat, utpote cujus consilio omnia geruntur: cff. vs. 1—55, ubi fabulae personas belli Trojani heroibus assimilat.

Vs. 6. *Sanae ac salvae*, quas scil. abs te stipulatione auferet, si duplex facinus effecerit: cf. 1, 5, 122 sqq. Hoc confidenter leno, nam tradita caloni muliere, vaniloquentiae atque jactantiae insimulaturum se Pseudolum gaudebat.

Vs. 7. *abs te inde est instipulatus:* sic Mss. omnes et editt., in quo tamen numeri depravati merito offenderunt interpretes, qui emendare conati, alii aliud protulerunt. Camer. *ind'est stipulatus*, quod recepit Lamb.; Scriverius *abs te industipulatus*, quod probans Both., tamen usurpata tmesi mavult *abs te indu est stip.:* sed *indu* pro *endo* vel *in*, quum ne

SI. Velim quidem hercle. BA. Roga me viginti minas,
Si ille hodie illa sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit:
Rogato hercle obsecro: gestio promittere,
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias:
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.
Ut concepisti verba: viginti minas

11. *obsecro hercle.*

semel quidem in his fabulis legitur, Plauto antiquius censendum est. Quamquam *abs te inde* per se satis commendationis habent, quoniam Plautus simili pleonasmo *hinc a me*, *huc ad te* scribere amat, metri tamen gratia hic auctoritatem Prisciani (Lib. VIII p. 792. ed. Putsch.) sequi malo, qui omittit *inde*. *Instipulari*, quod legitur etiam Rud. 5. 3. 25, pro simplici *stipulari*, *ut inaudire* pro *audire*, alia.

Vs. 9. *si — sive:* hae formulae, propriae sponsionibus, tam in jure quam extra jus, in stipulationibus vulgaribus usui non sunt, ut autumat Gulielm. ad Curc. 1. 1. 4, ubi iterato *si — sive — si* nihil cum sponsione, nedum cum stipulatione commune est. Hoc loco tamen, promissioni adjectis conditionibus, similitudinem quandam speciemque sponsionis praebent. Hoc vult leno: roga me vigenti minas, quas promitto, si etc.

Vs. 15. *ut concepisti verba.* Olim non quaevis verba vim adstringendae obligationis habuere, sed ea demum, quae solemnia erant et directa, atque a

Dabin'? BA. Dabuntur. SI. Hoc quidem actum'st haud male.
Sed hominem convenistin'? BA. Immo ambos simul.
SI. Quid ait? quid narrat? quaeso, quid dicit tibi?
BA. Nugas theatri, verba quae in comoediis
Solent lenoni dici, quae pueri sciunt:
Malum et scelestum et perjurum ajebat esse me.
SI. Pol haud mentitu'st. BA. Ergo haud iratus fui:
Nam quanti refert te nec recte dicere,
Qui nihili faciat, quique inficias non eat?
SI. Quid est, quod non metuas ab eo? id audire expeto.
BA. Quia nunquam ab me abducet mulierem jam, nec potest.

17. *convenistin' hominem.* 18. *quaeso dicit t.*
21. *ajebant.* 22. *ego haud.* 23. abest *te.* 24. *qui nihil.*

ICtis in hanc rem concepta parataque, quod vel ex sola definitione stipulationis intelligere licet, quae est apud Pomp. L. 5 § 1. D. *de verb. obl.:* vide Inst. III. 16. 1. ibique Vinn. Formulas stipulationum solennes expresse sustulit Leo Imperator. Graece redditur stipulatio ἐπερώτησις, quamvis interrogatione et responsione constans.

Vs. 23. *nam* in interrogationibus Plautinis fere abundare videtur; sed sic interrogandi vocabulis praemittere solet, quum vulgo in fine annectitur: saepissime v. c. videmus *nam quid* pro *quidnam:* hoc loco tamen molestum non est *nam,* si oratione recta idem efferamus: *non iratus fui, nam nihil refert te male dicere illi, qui faciat maledicta tua nihili.*

Meministine tibi me dudum dicere,
Eam venisse militi Macedonio?
SI. Memini. BA. Hem, illius servos huc ad me argentum attulit,
Et obsignatum symbolum. SI. Quid postea?
BA. Qui inter me atque illum militem convenerat:
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
SI. Bonan' fide istuc dicis? BA. Unde ea sit mihi?
SI. Vide modo ne illic sit contechnatus quippiam.
BA. Epistola atque imago me certum facit.
Quin jam quidem illam in Sicyonem ex urbe adduxit modo.
SI. Bene hercle factum. Quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?

33. *bonam fidem.* 36. *quin illam quidem jam.*
38. *ad molas colinas.*

Vs. 36. *adduxit.* Procul dubio probandum, quod quorumdam Mss. et omnium editt. vet. auctoritate nititur, *abduxit.*

Vs. 38. *molarum coloniam.* Mss. omnes *molas coloniam;* editt. vett., inter quas et Steph. versu septenario *molariam coloniam*, quod ex emendatione male intellecti antiqui genitivi *molas* fluxisse videtur, quem praeterquam hoc loco, deprehendimus etiam in argum. Amph. 1, et Poen. Prol. 51, ubi nunc quidem vulgo editur *comoediai*, sed antiquitus *comoedias* quoque legebatur, teste Joann. Saraceno Not. in Plaut. edit. Venet. 1518, qui utriusque scripturae meminit: cf. Voss. de Art. Gramm. IV. 3. Quod in nostris vulgo legimus *molarum*, per metrum stare nequit.

Sed quis hic homo est chlamydatus? BA. Non edepol scio,
Nisi ut observemus quo eat, aut quam rem gerat.

Vs. 39. *chlamydatus:* chlamys viatoria vestis est: quod jam diu est, cum alii docuerunt: hinc chlamydatos, qui peregre advenirent, ab habitu fere vocabant; Poen. 3. 3. 6: cf. Gulielm. Quaest. in Asin. c. 1.

Vs. 40. *nisi ut.* De *nisi* pro *sed*, praesertim post verbum *nescio*, vel simile quid, vide ad 1, 1, 105. In tali constructione abundant fere sequens *ut* vel *quia*, quae tamen oratione in integrum restituta, commode explicari possunt. Hoc loco v. c. sic legas: *non edepol scio, sed ut sciamus, observemus, quo eat:* non edepol scio, quomodo illud, quis ille sit, melius cognoscamus, nisi ut observemus: sed nil melius est factu, nisi ut obs. Stich. 1, 3, 112 plenissime legitur: *miror, quid siet, nisi (sed) ut periculum fiat, visam quid velit:* ubi ante *miror* plenissime est distinguendum. Haud aliter forte explendum notissimum *satin' ut*, in quo major esse videtur ellipsis, cujus supplementum, quum apud veteres nusquam est, dare conatur Periz. ad Sanct. Min. IV. 2. p. 674. Parum certe satisfacient, opinor, quae dedit Both. ad Amph. 474. Ceterum ex fabulis Plauti patere videtur, *satin' ut* plurimis locis perperam ferri pro interrogandi formula, cum saepissime indignationem vel admirationem indicat. Titubantur fere editiones: cf. Most. 1, 1, 73, et Mil. 2, 6, 1., ubi cum idem aliis verbis dicitur, alterum tantum interrogando effertur: vide etiam Mil. 4, 3, 41; Merc. 2, 4, 13; Stich. 1, 3, 114. alibi.

ACTUS QUARTI SCENA SEPTIMA.

HARPAX, SIMO, BALLIO.

Malus et nequam est homo, qui nihili imperium heri
Sui servos facit. Nihili est autem, suum
Qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus.
Nam qui liberos esse illico se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ii nomen diu servitutis ferunt:
Nec boni ingenii quicquam in his inest, nisi ut im-

7. abest *ii*.

Vs. 3. *nisi adeo monitus*; *adeo* Bothium offendit: Ms. Decurt. secutus, qui praebet *nisi est admonitus*, ablegato *est*, dedit *nisi admonitus*. Sed quamquam difficile est voculae vim uno verbo comprehendere, aegre huic loco eripi patiar: intendit notionem verbi *monitus*, et valet fere *valde*.

Vs. 5. *abdiderunt*, eleganter pro: recesserunt in loca nefaria, ubi extra heri conspectum nequitiae indulgeant.

Vs. 6. *luxuriantur*: anteponendum videtur *luxantur*, quod Festus (i. v. *luxantur*) videtur legisse, et versui melius consulit: quamvis omnes fere Mss. et editi vulgatam habent, tamen interpretationem olet. Ex vs. 4 repetendum *qui* ante *luxuriantur*.

Probis se artibus teneant. Cum his mihi nec locus , nec sermo
Convenit , neque his umquam nobilis fui.
Ego, ut mihi imperatum est, etsi abest, hic adesse herum
Arbitror : nunc ego illum metuo , cum hic non adest ,
Ne cum assiet , metuam : ei rei operam dabo.
Nam *me* in taberna usque adhuc sineret Syrus ,
Quoi dedi symbolum : mansi ut jusserat :
Leno ubi esset domi , me ajebat arcessere.
Verum ubi is non venit , nec vocat , venio huc ultro ,

10. *convenit his numquam.* 11. *ut ego mihi.*
b
14. *nam inter verna usque.* 16. *est domi.*

Vs. 9. *improbis artibus se teneant*, sc sustineant, tueantur. Minus recte huc citat Passerat. Truc. 2. 7. 3. *improbis artibus se expoliat*, ubi sine dubio ex quorumdam librorum auctoritate legendum est *expoliet*, pro *exspoliet*, quod mirum quam sententiae loci prodest: sic tamen huc nihil pertinet.

Vs. 10. *nobilis*, pro *notus*, ut *ignobilis* et *ignorabilis* pro *ignotus.*

Vs. 13. *ne cum assiet, metuam:* praeeunte Lamb. cum antecedentibus conjungenda puto: vulgo contra: vide Trin. 4, 2, 23:

Magis lubido'st observare, quid agat: ei rei operam dabo.

Asin. 1. 3. 30.

Neque ille scit, quid det, quid damni faciat: illi rei studet.

Ut sciam, quid rei siet, ne illic homo me ludificetur.
Neque quicquam est melius, quam ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus. Leno argentum hoc volo a me accipiat,
Atque amittat mulierem mecum simul.
BA. Heus tu? SI. Quid vis? BA. Hic homo meu'st. ST. Qui dum. BA. Quia
Praeda haec mea est: scortum quaerit, habet argentum.
Jam admordere hunc mihi lubet.
SI. Jamne illum comesurus es? BA. Dum recens est,
Dum datur, dum calet, devorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt:

20. *hinc intus.* 21. *emittat.* 24. *tamen a. mihi hunc.*

Vs. 24. *jam admordere*, dolis circumvenire, ut argento emungam: Pers. 2, 3, 15, ubi servus:

Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Bacch. 5. 2. 27, ubi *canis mordax* de servo veteratore. Quod verbum *admordere* tamen diversa significatione accipiens, rogat Simo: *Jamne illum comesurus es?* Manet in metaphora etiam in sequenti *devorari decet*, quod eadem notione usurpatur Asin. 2, 2, 71, ac *admordere* h. l. Adde, quae dicta sunt ad 1. 5. 60. De *comedere* pro *bona absumere* vide Gron. ad Terent. Eun. 5. 8. 57. Nescio quid obscoeni eruerit Colvius.

Augent rem meam mali: populi strenui
Damno mihi, improbi usui sunt. SI. Malum,
Quod tibi Dii dabunt, qui sic scelestus!
HA. Me nunc commoror, cum has fores non ferio,
Ut sciam sitne Ballio domi. BA. Venus mihi haec
Bona dat, cum hos huc adigit lucrifugas, damni
Cupidos, qui se suamque aetatem bene curant,
Edunt, bibunt, scortantur; illi sunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides.
HA. Heus, ubi estis vos? BA. Hic quidem ad me recta habet rectam viam.

29. abest *damno*. 30. *tibi dabunt ut scelestus*.
32. *haec mihi*. 33. *b. d. atque hos hunc adducit*.

Vs. 28. *damno*, quamquam invitis Mss. a Camerario inductum, per metrum abesse non potest: simile quid utique requiritur. Edit. Steph., qui scenam hanc in trochaicos dispertitur, hunc versum et sq. sic:

Populi strenui mihi improbiores sunt. Sim. *Malum quod Dii*
Tibi dabunt, ut scelestus! Harp. *Me nunc etc.*

adstipulante Cd. Acad.

Vs. 29. *malum, quod tibi Dii dabunt:* exclamatio est Simiae, indignandis lenonis dictis commoti, sicuti Amph. 2. 1. 13 Amphitryonis irati propter mendacia, quibus se fallere credebat Sosiam.

Vs. 37. *habet viam:* rarius hoc pro *habere iter:* recurrit tamen Trin. 4, 2, 26.

HA. **Heus, ubi estis vos ? BA. Heus, adolescens, quid istic debetur tibi ?**
Bene ego ab hoc praedatus ibo, novi : bona scaeva est mihi.
HA. **Ecquis hoc aperit ? BA. Heus, chlamydate, quid istic debetur tibi ?**
HA. **Aedium dominum lenonem Ballionem quaerito.**
BA. **Quisquis es, adolescens, operam fac compendi quaerere.**
HA. **Quid jam ? BA. Quia te ipsus coram praesens praesentem videt.**
HA. **Tun' is es ? SI. Chlamydate, cave sis tibi a curio infortunio,**

39. *b. ego praedatus si bonus in bono in bona scena e. m.*
40. *hoc ecquis.*

Vs. 39. *bona scaeva est mihi.* Sententiam illustrat locus Luciani Tim. 5, p. 110., ubi sic Timon: *οἱ δὲ (φίλοι) πόῤῥωθεν ἰδόντες (με), ἑτέραν ἐκτρέπονται, δυςάντητον καὶ ἀποτρόπαιον θέαμα ὄψεσθαι ὑπολαμβάνοντες.*

Vs. 44. *a curio infortunio. Curium infortunium*, quod interpretes misere cruciavit, praeterquam Salm., nemini se commendare potuit: varia comminiscuntur, quibus vulgatum sua sede expellant: *Thurium inf.*, *Curtium inf.*, *curvum inf.*, *crucium inf.*, *dirum* denique *infortunium*, quod Steph. quoque habet, Ms. Paris. secutus, qui solus a reliquorum librorum consensu distat: vide apud Taubm., quibus quisque adminiculis sententiam suam adstruere conatus sit: his adde Barth., qui Adv. XI. 6 jungit *chlamydate Curio* etc., et *Curionem* esse praeconem theatri affirmat; sed

Atque in hunc intende digitum: hic leno est. BA. At hic est vir probus.
Sed tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro,
Cum libella nusquam est, nisi quid leno hic subvenit tibi.
HA. Quin tu mecum fabulare? BA. Fabulor: quid vis tibi?
HA. Argentum accipias. BA. Jamdudum, si des, porrexi manum.
HA. Accipe: hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae,
Hoc tibi herus me jussit ferre Polymachaeroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phoenicium.

46. *sed tu non es vir f. s. in clamore in foro.*
47. *cum libello n. e. nisi quod.* 49. *jam si dudum.*
50. *numerataeque.*

XVI. 11 mavult *a Cario inf.* Nisi Paris. auctoritatem sequi licet, donec meliora afferantur, adsentior Salm., vulgatam sic exponenti, ut *curius* sit a *cura*, ut agnus *curio* Aul. 3, 6, 27 dicitur, qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet: hoc loco *curium infortunium* dixit, quo macer reddi possit iste, qui tam sollicite quaereret, ubi esset Ballio leno.

Vs. 45. *in hunc intende digitum:* intendere digitum medium in aliquem, est maximo ludibrii et contemtus genere afficere: locutionem exemplis illustrant Gron. L. P. p. 267; Pareus in Anal. Plaut.; Erasm. Adag. Chil. II. Cent. 4. n. 68.

BA. Herus tuus? HA. Ita dico. BA. Miles? HA. Ita loquor. BA. Macedonius?
HA. Admodum, inquam. BA. Te ad me misit Polymachaeroplacides?
HA. Vera memoras. BA. Hoc argentum ut mihi dares? HA. Si tu quidem es
Leno Ballio. BA. Atque ut a me mulierem abduceres? HA. Ita.
BA. Phoeniciumne esse dixit? HA. Recte meministi. BA. Mane:
Jam redeo ad te. HA. At maturate propera: nam propero: vides,
Jam die multum esse. BA. Video. Hunc advocare etiam volo.

57. *Phaenicium.* 59. *jam diei.*

Vs. 54. *admodum*, adsentientis verbum. Cic. de Leg. III. 11 » Scis solere, frater, in hujusmodi ser» mone, ut transiri alio possit, dici *admodum*, aut » *prorsus ita est:*" cf. Donat. ad Terent. Phorm. 2. 2. 1.

Vs. 58. *maturate propera:* quid differat inter *maturare* et *properare*, vide apud Gell. N. A. X. 11; Macrob. Sat. VI. 8; Serv ad Virg. Georg. I. 260.

Vs. 59. *jam die multum esse: die* antique pro *diei*, etiam apud serioris aetatis scriptores haud infrequens: exempla vide apud Gell. N. A. IX. 14, et intt. ad Amph. 1. 1. 119. *Multum die:* usitatius est *multo die*, sicut *multa nocte*, Cist. 1. 3. 11. et *multa luce*, *multo mane.* — *Hunc advocare etiam volo:* haec secum leno mussitat: Simonem mihi adsciscere volo, ut probe illum excipiamus.

Mane modo istic : jam revortar ad te. Quid nunc fiet , Simo ?
Quid agimus? manifesto hunc hominem teneo,qui argentum attulit.
SI. Quid jam ? BA. An nescis , quae sit haec res ? SI. Juxta cum ignarissumis.
BA. Edepol hominem verberonem Pseudolum : ut docte dolum
Commentu'st ! tantundem argenti , quantum miles debuit ,
Dedit huic , atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuus allegavit hunc,quasi a Macedonio
Milite esset. SI. Habesne argentum ab homine ? BA. Rogitas , quod vides ?
SI. Heus , memento ergo dimidium isthinc mihi de praeda dare :
Commune istuc esse oportet. BA. Quid , malum ? id totum tuum est.

60. abest *jam*.

Vs. 62. *juxta* non tantum in his fabulis saepissime usurpatur in comparationibus pro *aeque*, *similiter*, sed haud raro quoque in Liv. v. c. hac notione legitur. —

Vs. 66. *allegavit hunc:* allegare fere i. q. exornare sycophantiis, summittere, subornare: sic saepius apud Plautum. In bonam partem *allegare* dicitur, qui mittit amicum, per quem negotium cum alio perficiat. Multus de hoc vocabulo est Gron. ad Liv. XXXVI. 11.

Vs. 69. *commune:* Phaed. V. 6. 3

HA. Quam mox mihi operam das? BA. Tibi do equidem. Quid nunc mihi es auctor, Simo?
SI. Exploratorem hunc faciamus ludo suppositicium.
BA. Adeo, donicum ipsus sese ludos fieri senserit:
Sequere. Quid ais? nempe tu illius servos es?
HA. Planissume.
BA. Quanti te emit? HA. Suarum in pugna virium victoria.

71. *explorator est h. f. ludos.*

Heia, inquit, est commune, quodcumque est lucri. cf. Erasm. Adag. Chil. II. Cent. 1. n. 85. — *Malum:* vid. Acid. a. h. l. Solet Plaut. hoc vocabulum interjicere interrogationibus, quae a pronom. interrog. incipiunt: Men. 5. 2. 42; 2. 3. 39; Aul. 3. 2. 15, et alibi saepius.

Vs. 71. *exploratorem* dicit Harpagem leno, quod, haud secus ac ille, qui inimicorum castra perlustratur, et aucupatur, si quid damni iis inferre possit, militem calatorem existimabat circummeare, ut se puella et argento circumduceret: vel more suo in cognatis intempestive sociatis joculum quemdam venatus, *exploratorem* dicit, quia *suppositicium* illum credebat. — *Faciamus ludo*, quod in plurimis libris et scriptis et editis legitur, insolitum est, et nusquam occurrit: *ludos facere* contra, quod in optimo Ms. Cam. et in Cd. Acad., est vs. sq.; Aul. 2. 2. 75; Pers. 5, 2, 23; Bacch. 5. 1. 14; Truc. 4. 2. 46. alibi. *Ludo* quomodo corruptum sit, nemo non videt. —

Vs. 72. *donicum* pro *donec*, ut antiquitus *sedum* pro *sed*, monente Charis. Lib. VII. Inst. Gramm.

Nam ego eram domi imperator summus in patria mea.
BA. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
HA. Contumeliam si dices, audies. BA. Quotumo die
Ex Sicyone huc pervenisti? HA. Altero ad meridiem.
BA. Strenue mehercle isti. Quamvis pernix hic est homo:
Ubi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare solitus es in cunis puer?
HA. Scilicet. BA. Etiamne facere solitus es? scin' quid loquar?

78. *alto adhuc meridie.*

Vs. 76. Serv. ad Virg. Aen. I. 140. ex Pseud.
Nisi forte carcerem tu aliquando effregisti, vestram domum.

qui versus, quum hodie nusquam comparet, diversus esse vix potest a vs. 76, memoriter male laudato, quod solent Grammatici, ut supra jam vidimus.

Vs. 79. *quamvis* pro *quantumvis*, *admodum*, *valde*, comicis usitatissimum, et apud Cic. obvium.

Vs. 80. *scias*, pro videas, credas: Asin. 3. 3. 129. — *posse eum gerere crassas compedes*, eum servum natum esse, non imperatorem, sicut gloriabatur.

Vs. 82. *scilicet*, est frigide respondentis et concedentis, ut saepius: *scilicet* hoc versu, ut et in sq. *scilicet solitum esse*, multo concinnius Harpagi tribui

HA. **Scilicet solitum esse: sanine estis? BA. Quid hoc, quod te rogo?**
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?

83. absunt *scilicet* et *esse.*

censeo. Non intellexerat scilicet miles *in cunis cubitare*, turpi sensu usurpata a lenone, pro κινεῖσθαι: ingenue igitur ad simplicem quaestionem respondet: *scilicet.* Altera vero interrogatio apertior est: nunc demum capit, quomodo intelligendum *solitus es*, explicatum maxime reticentia turpis alicujus verbi, quo *facere* supplendum est: quae reticentia magis significatur subsequenti interrogatione: *scin' quid loquar?* quod respuens miles, respondet: *scilicet me consuetum esse puerum! sanine estis?* Sic melius omnia quadrant, ni fallor. Hunc vs. et sq. Steph. sic exhibet:

Harp. *Scilicet solitum esse.* Ball. *Etiamne facere solitus es puer?*
Scin' quid loquar? Harp. *Sanine estis?* Ball. *Quid hoc, quod te rogo?*

Quod anteponendum: eodem vergit etiam Lamb., qui omissis: *etiamne — loquar?* idem habet.

Vs. 83. *scilicet solitum esse.* Dudum monuerunt viri docti, his tribus *fortasse*, *scilicet*, *videlicet* apud veteres solita fuisse addi verba infinita, quippe contractis ex *forte an sit*, *scire*, *videre licet.* Eodem modo construi etiam *aedepol*, aliaque, docet Gronov. Obss. III. 9, qui omnino consulendus.

HA. I in malam crucem. BA. Ire licebit tibi tamen hodie tempori.
HA. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? BA. Mane.
HA. Quid maneam? BA. Chlamydem hanc commemores, quanti conducta'st. HA. Quid est?
SI. Quid meret machaera? HA. Helleborum hisce hominibus est opus.
BA. Eho! HA. Mitte. BA. Quid mercedis petasus hodie domino demeret?
HA. Quid domino? quid somniatis? mea quidem haec habeo omnia,
Meo peculio empta. BA. Nempe quod femina summa sustinet.
HA. Uncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.

89. *opus est.* 91. *mea equidem.* 93. *nunc ubi sunt s.*

Vs. 86. *tamen:* quoniam nulli voculae subjecta est vox *tamen*, mente quaedam sunt supplenda: hoc loco v. c. sic commode fieri censeo: *etsi non eo, tamen tibi mature hodie ire licet:* vel: quamvis ego in crucem eam, tamen et tibi via eo non est interclusa. *Hodie* saepe pro *statim* apud Comicos.

Vs. 89. *quid meret,* scil. domino, quanti conducta est.

Vs 92. *peculio:* servi quomodo sibi peculium parent, vide apud Ter. Phorm. 1. 1. 9; Sen. Epist. 80.

Vs. 93. *uncti sunt,* etc.: proverbialiter dictum: in eos convenit, qui per lasciviam ultro sibi malum arcessunt: solebant enim veteres post balneum ungi oleo, dein strigili fricari vel distringi. Sic Gron. L.

BA. **Responde obsecro hercle hoc vero serio, quod te rogo:**
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?
HA. **Qui istic Pseudolu'st?** BA. **Praeceptor tuus, qui te hanc fallaciam**
Docuit, ut fallaciis hinc a me mulierem abduceres.
HA. **Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias?**
Quem ego hominem nullius coloris novi. BA. **Non tu istinc abis?**

95. *argenti.* 96. *est Pseudolus.*

P. p. 267. Ambiguam igitur habet interpretationem, minime vero obscoenam, quod vult Lamb. *Fricari volunt* idem est, quod *dorsum illis prurit*, *scapulae pruriunt*, Mil. 2, 4, 44 et Pers. 1, 1, 32: sic passim. Senes, inquit, fricari volunt, i. e. indignandis suis facetiis digni sunt, qui vapulent, nam illis dorsum prurit: frictionis autem mentionem faciens, quid magis Plautinum, quam praemittere: *uncti sunt.* Hinc orta videtur locutio. Lambino favent Stich. 5, 5, 20, et Bacch. 5. 2. 75. — *ex antiquo* scil. more: sic *antiquum obtinere*, *servare*, pro pertinaciter antiquum morem et ingenium tenere, apud Plautum frequentissimum: cf. Donat. ad And. 4, 5, 22.

Vs. 99. *quem ego hominem* etc., quem scil. tu praedicas, ego hominem etc. De locutione *nullius coloris aliquem nosse*, vide etiam Gron. L. P. p. 268. — *non tu istinc abis*, pro *abi* solita, loquendi formula, non

Nihil est hodie hic sycophantis quaestus : proin tu Pseudolo
Nuncies , abduxisse alium praedam , qui occurrit prior
Harpax. HA. Is quidem edepol Harpax ego sum. BA. Immo edepol esse vis.
Purus putus hic sycophanta est. BA. Ego tibi argentum dedi ,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo ,
Heri imagine obsignatam epistolam hic ante ostium.
BA. Meo tu epistolam dedisti servo ? cui servo ? HA. Syro.
BA. Non confidit ; sycophanta hic nequam est : nugis meditatur male :

100. *sycophantiis.* 101. *illam praedam.* 107. *hic neque est.*

hoc vult, ut Ballio cupiat, revera *abire* Harpagem, sed eadem ratione hic usurpatur, qua saepius *abi*, *abi modo*, *i modo*, *abi ab oculis*, similia, quae sunt moleste ferentis, et fastidiose repudiantis.

Vs. 107. *non confidit ; etc.* Non intactum abire passi sunt hunc versum interpretes, sed vario modo refingere tentaverunt. Primum haud immerito offendunt verba *non confidit*, cum tamen Harpax ad omnia confidenter respondet, nec usquam haeret. Sicut locus nunc legitur, expediri sane nequit; sed adest Steph., qui unice verum exhibet: *num confidit ?* i. e. quid dicis, Simo? nonne hic est audax et impudens? quam confidit dolis! non dubitat de victoria: nulla

Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
HA. Harpax ego vocor: ego servos sum Macedonis militis:
Ego nec sycophantiose quicquam ago, nec malefice,
Neque istum Pseudolum mortalis qui sit novi, neque scio.
SI. Tu, nisi mirum'st, leno, plane perdidisti mulierem.

in re haeret: statim respondet *Syro.* Egregie omnia meditati sunt antea. *Nugae* hoc versu sunt *nugatoriae artes,* Trin. 4. 2. 2, i. e. fallaciae: sic Aul. 5. vs. 19 *nugae* pro *commentis;* Truc. 4. 4. 8 pro *blanditiis fallacibus;* Epid. 3. 4. 42 *nugari* pro *decipere, circumducere,* et saepius *nugator* sycophantae epitheton adjicitur. Haec vocis notio hucusque ab interpretibus praetermissa.

Alterum, quod mirum accidere debuit, est *meditari* dativo junctum: quod quum omnes Mss. tenent, non mutandum puto in *nugas.* Nam *curare* pro *providere* pari modo apud Plautum non semel dativo jungitur: similiter *videre* pro *providere* apud Cic. et alios: cf. v. c. Kort. ad Ep. ad Div. II. 16. extr. Sed quod ad sustinendam opinionem meam egregie facit, est, quod compluribus locis scriptum legimus *meditari ad aliquid,* et Stich. 2, 1, 34 *meditari se ad aliquid,* eadem significatione: haud secus ac apud optimos scriptores reperimus *operam dare, studere alicui rei,* et *operam dare ad aliquid, studere aliquid.*

BA. Edepol nae istuc magis magisque metuo, cum verba audio.
Mihi quoque edepol jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit: mira sunt! Pseudolus est. Eho
Tu! qua facie fuit, dudum cui dedisti symbolum?

114. *perfrigefecit.*

Post hunc versum in Mss. et pluribus editt. comparent repetiti vs. 63—65 huj. scen., praeterquam quod in postremo pro *arcesseret* legitur *abduceret.* At cum in Steph., et multis aliis editionibus absunt, eas secutus illos exturbare non dubitavi, cum praesertim his ejectis optime, imo melius cohaerent orationis partes. De quo interpolationum genere vide Osann. Anal. Crit. p. 180 sqq. —

Vs. 114. *cor perfrigefacit*, metu perfundit animum atque contrahit, haud secus atque si frigore perfusum contraheretur.

Vs. 115. *mira sunt! Pseudolus est:* sic Mss. omnes: sed, metro jubente obtemperandum vetustissimis editt. Junt., Ald., Brix., Steph., exhibentibus *mira sunt, ni*, quae Plauto est notissima locutio: vide e. g. Trin. 4. 2. 19; Bacch. 3, 3, 46, Amph. 1. 1. 127, alibi: vocula *ni* duabus postremis literis praecedentis vocabuli facile obliterari potuit.

Vs. 116. *qua facie fuit:* faciem non tantum vultum, sed totius corporis habitum et figuram saepe comprehendere, monet Gron. L. P. p. 1.

HA. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. SI. Perdidisti, postquam dixisti pedes.
Pseudolus fuit ipsus. BA. Actum est de me. Jam morior, Simo.
HA. Hercle haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur,
Viginti minae. SI. Atque etiam mihi aliae viginti minae.

117. *crassus, subniger.* 120. *ipsus auctum est.* BAL. *idem etiam morior S.* 122. *aliae mihi.*

Vs. 117. *ventriosum,* quem Plautus Curc. 2. 1. 16 *cum collativo ventre* appellat: Pers. Sat. 1, 57:

cum tibi
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

Sunt, qui Plautum se ipsum hic describere putent: rationes non addunt; forte ob magnos pedes: Plautus vel Plotus enim simile aliquid notat: levius tamen hoc mihi videtur indicium, cui parva fides tribuenda. A magnis pedibus antiquitus forte nomen quoque habuerunt *Pedones*, ut Dorso, Labeo a partibus cognominibus. De servula Afra Virg. Moret. 35:

Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta.

Vs. 119. *magnis pedibus:* quod hic *magnos pedes*, supra *crassas suras*, vs. 80 *suram crassis compedibus aptam* memorat, hinc facile inducitur quis, ut credat, omnia haec dedecori fuisse, atque antiquis in contumeliam dicta.

BA. **Auferetur id praemium a me, quod promisi per jocum?**
SI. **De improbis viris auferri praemium et praedam decet.**
BA. **Saltem Pseudolum mihi dedas.** SI. **Pseudolum ego dedam tibi?**
Quid deliquit? dixin' ab eo tibi ut caveres centies?
BA. **Perdidit me.** SI. **At me viginti modicis mulctavit minis.**

126. abest *ut.*

Vs. 123. Contra Raev. a. h. l. facit Pauli effatum *L.* 3 § 2. *Dig. de Oblig. et Act.* „Nec si per jocum puta, vel demonstrandi et intellectus causa ego tibi dixero: *spondes?* et tu responderis: *spondeo*, nascetur obligatio." Nihilominus jure valet Simonis stipulatio, quoniam lenoni promittenti animum contrahendi fuisse, manifestum est: cf. *L.* 55 *Dig. de Obl. et Act.*

Vs. 124. *praemium et praedam*: jungere amat Plautus haec verba, eadem fere notione: *praemium* enim de omni commodo: apud Virg. Aen. XI. 78:

Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Adgerat, et longo praedam jubet ordine duci.

Vs. 125. *mihi dedas*, scil. noxae. Noxalibus nempe actionibus optio dabatur dominis, ob damnum, a servis suis aliis illatum, condemnatis, utrum litis aestimationem sufferre mallent, an ipsum servum noxae, i. e. noxiae poenae, *εἰς κόλασιν* dedere: vide Inst. Just. IV. 8. De *noxa* et *noxia*, quid differant, docte disputavit Oudend. ad Suet. Caes. 81. Adde Duk. de Lat. Vet. ICtorum, p. 10. sqq.

Vs. 127. *modicis*. Quamquam frequentissimum est

BA. Quid nunc faciam? HA. Si mihi argentum dederis, te suspendito.
BA. Di te perdant: sequere sis me ergo hac ad forum, ut solvam. HA. Sequor.
BA. Hodie ego peregrinos absolvam, cras agam cum civibus.

130. *quid ego peregrinam.*

in Plauti fabulis *argentum commodum*, *minae commodae*, (sicut Germani *gute Groschen*) et *pecunia modica* parvam pecuniae summam notat, contra librorum omnium consensum nihil novandum censeo, sed *modicis* explicandum *satis bonis*. Est genus λιτότητος haud insolitum. Idem videtur sensisse Gruterus. Monstrum alit Boxhorn.

Vs. 129. *ad forum.* Duobus modis Romani servabant pecuniam, aut in arca, aut in mensa apud trapezitam, qui in foro tabernam habebat argentariam; duoque hinc erant modi solvendi, nempe aut ex arca, aut de mensa; *ut solvam* h. l. est, a trapezita: haec omnia ex plurimis comicorum locis notissima sunt. Magna doctrinae copia locum de argentariis eorumque rationibus pertractavit Gron. L. P. p. 37 sqq.: cf. Donat. ad Ter. Adelph. 2, 4, 13.

Vs. 130. *hodie.* Multi alii libri sic: Sim. *Quid ego?* Ball. *Peregrinos* etc. Quod anteponendum censeo, probante Bothio, qui sic interpretatur: *quid ego?* scil. *agam: quid me fiet, et viginti minis, quas mihi debes?* vulgatum ex oppositionis affectatione ortum videtur. — *Absolvere* pro *soluta pecunia dimittere*, i. q. nostrates *afbetalen*, haud infrequens: vide Briss. de V. S. i. v.

Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. Nune ne exspectetis, dum hac domum redeam via:

132. *adduceret.*

Vs. 131. *centuriata habuit* etc.: Cic. de Leg. III. 19. *lex XII tabb. de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu (comitiis centuriatis) vetat.* Quem morem spectat etiam Aul. 4, 7, 20, et Truc. 4. 3. 45. Queritur leno, se a Pseudolo bonis esse eversum, sibi vitam cum fortunarum salute ereptam esse.

Vs. 133. Hunc vs. exhibui ex distinctione Cd. Acad. Ut saepissime in scenis extr., convertit se ad spectatores, atque monet, ne exspectent, dum via lata a foro domum redeat; esse enim in animo sibi, avorsis angiportis domum consectarier, reverti, ne ob verba sibi data exsibilaretur, neve (Bothii hoc est) a creditoribus conspiceretur, quos rumore de hac sua clade argentaria excitatum iri augurabatur. Jocum forte quaesivit poëta in eo, quod spectatores a foro redeuntem histrionem videre non poterant, quippe qui eo ire non constituerat. Confundit histrionem, et quam agit personam. Simonem et Harpagem non alloquitur leno, quia hunc se sequi jubet, nec causa erat, cur Simo lenonem redeuntem opperiretur: spectatores contra suo semper loco manebant. Non inutile visum est apponere Asin. 3. 3. 151. sq.

Lib. *Jamdudum est intus.* Arg. *Hac quidem non venit.* Lib. *Angiporto*

Ita res gesta est: angiporta haec certum est consectarier.

135. HA. Si graderere tantum, quantum loquere, jam esses ad forum.

HA. Certum'st mihi emortualem facere ex natali die.

134. *ita res est: angiporto hoc.* 136. *mihi hunc e. f.*

Illac per hortum circuit clam, ne quis se videret etc. et Pers. 3. 3. 39. sqq.

Tox. *Abi istac avorsis angiportis ad forum,*
Eadem istaec facito mulier ad me transeat
Per hortum. Dord. *Jam hic faxo aderit.* Tox. *At ne propalam.*

Quae mihi magis persuadent, ut vs. sq. auctoritatem Cd. Acad. et Steph. secutus, anteponam: *angiporto hoc.*

Vs. 134. *ita res gesta est:* quia ita mihi res gesta est. Talia interjicere solet Plautus, subjuncta fere particulae *ita:* exempla nonnulla collegit Bothius; plura Pareus in Lex. Plaut. i. v. *ita.*

Vs. 135. *jam esses ad forum:* aliae editt., obnitentibus libris, *isses*, quod ortum ex parum intellecta locutione *esse ad forum:* nihil enim frequentius quam *ad* pro *in*; unum locum, Ter. Phorm. 4, 2, 8, nominasse sufficiat, ubi cf. Westerh.: maxime tamen *apud forum* comicis usitatum.

Vs. 136. Quod habet Cd. Acad. *hunc* post *mihi*, et Steph. idem ante *mihi* insertum, metro molestum est.

ACTUS QUARTI SCENA OCTAVA.

SIMO.

Bene ego illum tetigi, bene autem servos inimicum suum.
Nunc mihi certum est, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quam in aliis comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur: at ego jam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si effecisset: obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus:
Superavit Dolum Trojanum atque Ulyssem Pseudolus.
Nunc ibo intro, argentum promam: Pseudolo insidias dabo.

7. *atque vicit Pseudolus.*

Vs. 4. *inultus:* hic pro *non ultus:* saepius vero pro *impunitus:* cf. Amph. 4. 3. 7; Epid. 3. 1. 7.

Vs. 5. *obviam* etc.: cf. ad. 4. 7. 13. ubi plura hujusmodi incuriae sermonis exempla.

Vs. 8. *insidias dabo: insidias dare* apud Plautum saepius pro *ex occulto loco observare:* Cas. 2. 7. 13; Mil. 2. 3. 32.; huj. fab. 2. 1. 19, alibi; hic fere pro *opperibor.*

ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

PSEUDOLUS.

Quid hoc? siccine hoc fit? pedes, statin' an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle si cecidero, vostrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, saeviendum mihi
Hodie est. Magnum hoc vitium vino est,
Pedes captat primum: luctator dolosu'st.

Vs. 1. *siccine hoc fit?* apte affert Gron. Asin. 1. 2, 1.

Siccine hoc fit? foras aedibus me ejici?

est formula succensentis. Ebrius in scenam prodit, atque pedes alloquitur, qui vini vim non probe sustinuisse videntur. Similiter Curc. 1. 3. 44 *hoccine fieri.*

Vs. 2. *hic:* probandum *hinc*, quod in Palat. Mss., et in Steph.

Vs. 4. *pergitin' pergere:* sic Poen. 1, 3, 24 *pergin' pergere?* non ut interpretantur *pergitisne vacillare*, sed *nonne pergetis procedere.* — *Saeviendum mihi* etc. Integra servanda lectio librorum Camer. Quaecumque viri docti commenti sunt, vel in suis invenere libris, prae hoc frigent: ut dominus in servos, ita Pseud. in pedes suos saevire vult, qui officium suum facere recusant. Quod in Cd. quodam legitur *sedendum est*, ob praemissum *ah*, et sequens *hodie* minus videtur probabile.

Vs. 6. *luctator dolosus est:* implicatis pedibus percellere et supplantare conatur, non virtute, sed dolo adversarium.

Profecto edepol ego nunc probe abeo madulsa:
Ita victu excurato, ita mundiciis digne ah,
Itaque in loco festivo sumus festive accepti.
Quid opus me multas agere ambages? hoc
Est homini quamobrem vitam amet; hic omnes
Voluptates: in hoc omnes venustates sunt:
Deis proxumum esse arbitror. Nam ubi amans
complexu'st

7. *probe mulsavi.* 8. *e. i. magnis mundiciis digni:* abest *ah.* 13. *num ubi.*

Vs. 7. Si contra omnes Mss. et editt., exhibentes *habeo madulsam*, fides habenda est Festo, quod addubito, nihil mutandum censeo.

Vs. 8. *mundiciis digne, ah!* ex Lipsii conj. Plurimi libri *digni ah!* alii *magnis munditiis d. ah* Steph. tetrametris, altero pravo, altero sano:

Madulsam, ita excurato victu, ita magnis munditiis
Digni habiti, atque loco festivo festive accepti sumus.

Variis insuper modis a viris doctis tentatus vs.: facile vero *digne* probatur, quoniam, ut supra saepius vidimus, permutatione literarum *i* et *e* in his fabulis nihil est frequentius. — *excurato:* sic Cas. 3. 6. 6:

Ego esurio et sitio. Stal. *Lepide excuratus incessisti.*

Verbum *curare* potissimum usurpari in re coquinaria, notissimum est: vide intt. ad Ter. Andr. 1. 1. 3.: sic absolute pro *coenam apparare*, Pers. 1. 3. 5.

Vs. 13. *Deis proxumum* etc.: exquisite pro: hoc Deorum vitae proximum esse arbitror. Quae sequuntur sunt inconsequentiae sermonum, quas madido condones.

Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui manifesto
Inter se prehendunt: ubi mamma manicula
Opprimitur alia, aut si lubet, corpora
Conduplicant; manu candida cantharum dulciferum

14. *ad labra labella.* 16. *interprehendunt: ubi manu mamilla.* 17. *opprimitur ac tum si lubet.*

Vs. 15. *bilingui*, scil. osculo: genus osculi impudicum. Amabant linguas inter osculandum ita componere, atque implicare, ut bilingues viderentur: Asin. 3, 3, 105:

Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.

i. e. fac me serpentem, cui nempe bisulca lingua est, Poen. 5. 2. 74: vide intt. ad Asin. locum. Poen. 5. 4. 65.

Dato mihi pro offa savium, pro osse linguam objicito.

Manifesto cum *bilingui* adjective copulandum puto: sic *manifestum bilingue* intelligo, quod *diu durat*, adeoque magis in oculos incurrit: opponi posse credo osculo *decerpto*, *delibato*.

Vs. 16. Suffragante Cd. Acad. sic Steph.

interprehendunt,
Ubi manu mamilla opprimitur, ac etiam si lubet corpora conduplicant.

Quod, quamvis pessimo metro, longe anteponendum vulgatae, quae commode expediri nequit. Turbant Mss. E Lambinianis efficiat quis: *mamma mamilla amiculae.*

Vs. 18. Habet omnis haec oratio aliquid turbatum, ut ebrii. Frustra Boxhorn. in ordinem redigere ag-

Propinare amicissumam amicitiam : neque ibi esse alium alii
Odio , ibi nec molestum, nec sermonibus morologis uti :
Unguenta, atque odores , lemniscos , corollas dari dapsiles :
Non enim parcipromi : victu cetero ne quis me roget.
Hoc ego modo , atque herus minor hanc diem sumpsimus prothyme ,

19. *p. mitissimam — alium alio.* 20. *odio ubi.*
21. *lentiscos.* 22. *parcepromi.* 23. *sumpsimus potissume.*

gressus est, quod poëta de industria turbavit: nec facile intellectu, quid cantharus sit manu candida.

Vs. 19. *amicissumam.* Cd. Acad. et Steph. *mitissumam.* *Alio* antique pro *alii*, sicut saepius *illae* in dat. fem. pro *illi*, *solae* pro *soli.*

Vs. 20. *odio — molestum:* synonyma sic sociare amat Plautus. *Morologis* recte explicat Lamb. *ineptis*, qui nihil attinent ad oblectamenta convivalia.

Vs. 21. *lemnisci*, qui sint, vide apud Fest. ab intt. laud.: cf. Hott. ad. Cic. pro Rosc. Am. 35.

Vs. 22. *parcipromi* Truc. 1, 2, 81 eodem modo scribitur: alii *parce promi.* Separatim puto verba scribenda esse *parci promi:* opponitur enim *prodigus promus*, Poen. 3, 4, 6. — Hunc versum alio modo distinctum exhibui, atque in vulgatis exstat.

Vs. 23. *hanc diem sumsimus: sumere* hoc loco pro consumere, absumere, insumere: cf. Mil. 3, 1, 79 et 80; Ter. Adelph. 2, 4, 23, ex emendatione Bentleji.

Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis.
Illos accubantis, potantis, amantis, cum scortis
Reliqui, et meum scortum ibidem, cordi atque animo suo
Obsequentes; sed postquam exsurrexi, orant med uti saltem:
Ad hunc me modum intuli, ut illis satisfacerem ex disciplina: quippe ego

26. *corde*. 27. *orant me hi ut*. 28. *intuli; illis satisfacere minime ex disciplina: qui ego*.

Vs. 26. *cordi:* in Cd. Acad. et in Steph. *corde*, quod egregie firmat lectionem vulgarem epigrammatis Plauti, Gell. N. A. I. 24.

Postquam morte datu'st Plautus, comoedia luget; etc.
ubi *morte* pro *morti* propter insolentiam viris doctis haud placuisse video.

Vs. 27. *med uti saltem*. Cd. Acad. *me hi ut s.:* in aliis scriptis et edit. *me id ut s.*

Vs. 28. *me intuli*. *Se inferre* h. l. comicis notissima notione *superbiendi*, *magnifice atque basilice incedendi* venire nequit: *me intuli* hic est pro: motu, habitu saltatorio processi, ut illis satisfacerem: *ad hunc modum* igitur forte est δεικτικῶς, sicuti *hoc modo* vs. 31. In sqq. pro interpretatione Steph. versus apponam, ex quibus nostri manifesto corrupti, suadente quoque Cd. Acad.

Illis satisfacere minime ex disciplina quivi ego,
Qui lenonem capere didici: sed palliolatim amictus
Sic incessi ludibundus:

Qui probe Jonica perdidici: sed palliolatim amictus
Sic hac incessi ludibundus: plaudunt partim: clamitant me, ut revortar.
Occepi denuo hoc modo: volvi idem: amicae dabam me meae,
Ut me amaret: ubi circumvortor, cado: id fuit nenia ludo.
Itaque dum enitor, pax! jam paene inquinavi pallium: nimiae tum

29. *q. probum lenonem capere didici.* 30. abest *hac.* 31. *hoc modo nolui.* 32. *ibi c. c. i. f. nempe ludo.* 33. *pallium temeto:* absunt *nimiae tum.*

Ex disciplina est ex disciplinae praeceptis, sicuti doceri solet saltatio: Cic. de Div. II. 3. *Eadem in literis ratio est reliquisque rebus, quarum est disciplina.*

Vs. 29. *palliolatim:* Lamb. *palliolatus*, quod forte ex interpretatione.

Vs. 31. Sicut versus vulgo legitur, vix intelligi potest: praeeunte Steph., aliter distinguendo sententiae mederi potui.

Vs. 32. *id fuit nenia ludo:* quia nenia erat inter ultima, quae praestabantur defuncto, ideo et ipsa nonnunquam exitum sive ultimum rei significat; vide intt. ad Fest. i. v. *nenia;* Gron. L. P. p. 270. Sed magis probo, quod in Cd. Acad., et in Steph. *id fuit nempe ludo*, quoniam ex sq. vs. videmus, ludo nondum fuisse finem impositum.

Vs. 33. *pax* est interjectio comica, origine Graeca, comprimentis, et quasi cum verecundia silentium sibi

Voluptati edepol fui : ob casum datur cantharus , bibi ; commuto
Illico pallium , illud posivi : inde huc exii , crapulam dum amoverem.
Nunc ab hero ad herum meum majorem venio foedus commemoratum.
Aperite , aperite , heus Simoni me adesse , quis nunciate.

34. abest *bibi*. 35. *posui*. 37. *quis nunciat*.

aut alteri imponentis. Cum enim sibi silentium imponebant, opposito ad os digito, tamquam ulterius sermonem procudere vererentur, aut cum, quae dicta erant, indicta vellent, aut cum ex sermone praesentes dimitterent, tum *πὰξ* dicebant: vide Salm. ad Trin. 4. 2. 96. Scal. ad Mil. 3, 1, 213, et in Auson. Lect. I. 19. — *Nimiae tum:* praeter Cd. Acad. etiam Vatic. *pallium temeto*, quod non repudiandum censet Lipsius.

Vs. 36. *foedus commemoratum*, ut pactum in memoriam revocem hero. Magnificis verbis utitur.

Vs. 37. *quis nunciate?* Cd. Acad. et Steph. *quis nunciat?* quod, nisi *quis* hic pro *aliquis* usurpatum statuere malis, forte anteponendum: *aliquis* enim licet saepius plurali imperat. jungitur, (Epid. 3. 3. 18; Men. 4. 2. extr.; Merc. 5. 2. 70; 1. 2. 21) et Donat. ad Ter. Adelph. 4. 4. 24 monet, *quis*, *aliquis* et *quisquam* non observare veteres, quo genere, aut quo numero declinarent, *quis* tamen nunquam sic constructum invenias: cf. Arist. Plut. 1197. *τὸν Πλοῦτον ἔξω τὶς καλεῖ*; ubi in quibusdam male editum videtur *κάλει*.

ACTUS QUINTI SCENA SECUNDA.

SIMO, PSEUDOLUS.

Vox viri pessumi me exciet foras. Sed quid hoc? quo modo? quid tu video ego?
PS. Cum corona ebrium Pseudolum tuum. SI. Libere hercle hoc quidem: sed vide statum,

Vs. 1. *quid tu video ego?* Sola Steph. *quid te ego video?* i. e. quo habitu, quo ornatu te video ego? quod nisi hac auctore amplecti licet, distinguendum videtur? *quid? tu? video ego....* Pseudolus interpellans heri orationem supplet. Lamb. omittit *tu;* qua auctoritate, non additum.

Vs. 2. *cum corona ebrium.* Veteres solebant non tantum e potu, sed etiam e cibis aliquid libare, et libamenta in focum deferre, v. c. in patellis, unde *Dii patellarii* dicuntur Lares et Penates Cist. 2, 1, 46. In his libationibus autem mos erat, coronas capiti imponere: Virg. Aen. VIII. 274:

Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris.

Hinc fortasse invaluit consuetudo, ut epulantes et potantes se coronis redimirent. Nec alias gestabant ebrii, quam quas sumserant, antequam maderent. Hujus moris crebra mentio apud Comicos: in Platonis quoque Symp. 30. Alcibiades ἐστεφανωμένος intrat. — *libere.* Vulgaris interpretatio nimis longe petita videtur. *Libere* est *ingenue*, *proterve*, *audacter*, *impudenter;* et profecto, quaecumque Pseudolus hac scena profert, insignis sunt impudentiae et audaciae

Num mea gratia pertimescit? magis cogito, saeviter blanditerne alloquar.
Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, si qua in hoc spes sita'st mihi.
5. PS. Vir malus viro optumo obviam it. SI. Di te ament, Pseudole: phui! in malam crucem.
PS. Cur ergo me afflictor? SI. Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius irructas?

3. *meam gratiam.* 4. *jam facere nunc.*
5. *sed i in m. c.* 6. *afflicter.*

ebriae, quod si adtendamus, multa facile expeditu videbuntur, quae statim legentem morantur.

Vs. 3. *num mea gratia*, arctius cum antecedentibus sunt connectenda: hoc enim vult Simo: ex statu magnifico servi haud facile viderit quis, illum timere simultatem heri, fallaciis suis circumventi.

Vs. 3. *magis cogito:* ideo magis etiam dubius sum.

Vs. 4. *si qua in hoc spes*, etc. i. e. argentum, quod fero, non sinit, me illi vim inferre nunc: nisi scilicet spem mihi praecidere velim, partem saltem pecuniae promissae mihi servandi.

Vs. 5. *Di te ament.* Dum hoc dicit Simo, ructatur Pseudolus: ad quod Simo, propositi immemor, blande illum excipiendi, subito indignatus addit: *sed i in malam crucem!* Sic enim in Cd. Acad. et Steph. melius legi puto.

Vs. 6. *cur ergo me afflictor:* sensum non habet, ad seq. Simonis verba quadrantem. Libri alii aliter: *afflicter*, et *cur ego me afflictem:* interpretes sua addunt. Suspicor, Plautum scripsisse, quod est in Ms. De-

PS. Molliter siste nunc me, cave ne cadam: non vides me, ut madide madeam?
SI. Quae ista haec audacia est, te sic interdius cum corolla ebrium incedere? PS. Lubet.
SI. Quid lubet? pergin' ructare in os mihi? PS. Suavis ructus mihi est: sic sine modo.
SI. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrumos quattuor
Fructus ebibere in hora una. PS. Hiberna, addito.
SI. Haud male mones:

7. *madidus adeam.* 8. *istaec.*

curtato, qui vocatur, *cur egomet afflictor?* Queritur scil. Pseudolus, Simonem se pugno percutere, verberare, quae in his fabulis haud infrequens est notio verbi *afflictare:* cf. Aul. 4. 4. 5; Bacch. 1. 2. 46; Mil. 4. 2. 41; Rud. 3. 2. 31.

Vs. 7. *siste.* Steph. *sustine.*

Vs. 9. *sic sine modo*, est fastidientis, et moleste ferentis: Truc. 5, 1, 4.

Vs. 11. *uberrumos fructus*, i. e. annuum reditum: cf. West. ad Ter. Phorm. 5, 8, 24; intt. ad Catull. CXV. — *Hiberna, addito.* Romani horas aestivas pro longioribus ponunt, hibernas vel brumales pro brevioribus. Nam dies tam hibernus, quam aestivus, et nox, tam hiemis, quam aestatis fuit iis XII horarum. Ita eveniebat necessario, ut per aestatem diurnae nocturnis essent longiores, per hiemem breviores. Sic ad Senec. Herc. Fur. 842 Gronov. Hyperbolae itaque augendae inservit. Latius de hac temporis dividendi ratione egit Barth. Adv. II. 19, multisque testimoniis firmavit. Adde intt. ad Virg. Georg. I. 32.

Sed dic tamen, unde onustam celocem agere te praedicem? PS. Cum tuo filio
Perpotavi modo: sed, Simo, ut probe tactus Ballio est! quae tibi dixi, ut
Effecta reddidi! SI. Derides? pessumus homo est. PS. Mulier haec
Feci cum tuo filio libera accubet. SI. Omnia, ut quidque egisti, ordine

12. abest *filio*. 13. *captus B. e.* 14. *h. es. Ps. m. hoc.* 15. *facit* — *accubat* — *quaeque.*

Vs. 12. *onustam celocem agere*, i. e. ventrem cibo potuque probe saburratum. Eadem metaphora utitur Cist 1. 2. 2. *ubi saburratae sumus, largiloquae extemplo sumus;* et Mil. 4, 1, 40, ubi *celox* anus bibula dicitur, quae probe navigium suum vino oneraverat.

Vs. 14. *pessumus homo est.* Lambini Cdd. et Acad. *pessumus homo es*, quod procul dubio arripiendum: recte enim monet Lamb., e sqq. patere, non submissa voce haec locutum esse Simonem, sed ita extulisse, ut Pseudol. exaudire posset. Quid enim causae, cur haec secum muttiret Simo, atque maledictis parceret erga eum, cui vs. 10 aperte scelus objecerat? In sqq. suo loco restituenda puto, quae Acidalii conjectura male ejecta sunt: libri omnes

Mulier haec (*hoc*)
Facit: cum tuo filio libera accubat.

Steph. post *tuo* inserit *nunc.* Pessimum me, inquit, haec Calidori amica facit, quae hodie me magna facinora edere coëgit, atque te argento emungere. Hujus culpa dedecus hoc admissum.

Vs. 15. *ordine scio: ordine* fere apud Plautum pro

Scio. PS. Quid ergo dubitas dare mihi argentum? SI. Jus petis, fateor: Tene. PS. At negabas daturum esse te mihi, tamen das: onera hunc hominem, atque me

recte, *bene:* minus recte igitur praecedentibus jungitur *ut quidque egisti.*

Vs. 16. *jus petis*, pro *justum, aequum:* vide Gron. L. P. p. 143.

Vs. 17. *onera hunc hominem*, i. e. *me*, ut recte Acidal.: sic Bacch. 4. 4. 1. Rogat Pseudolus herum, ut pecuniam humero imponat: gravari videtur Simo, argento suo, fallacibus machinationibus sibi ablato, servum onerare. Pseudolus vero confidenter respondet, quippe probe sciens, se ab hero, argenti servandi spe ducto, nihil non impetraturum. Impetrat: nam vs. 19 indignatus licet, Simo hominem advortere sibi humerum jubet. *Hem!* argentum tergo impositum significat. Vulgari loci interpretatione, et personarum distributione servata, tantae emergunt difdifficultates, ut metus non sit, me Ballionem ab hac scena prorsus excludentem, temeritatis insimulatum iri. Nam si inde a vs. 20 leno cum servo sermocinans inducitur, quaeritur, an spem abjecerit senex argenti servandi, cujus mentionem non amplius factam videmus? Quid agebat Ballio usque ad vs. 21, ubi repente supplicantem audimus? Quid petebat supplex? Pseudolo nihil debebat, nullaque spes inde aliquid auferendi esse poterat. Tum lenonis nihil referebat, Pseudolum argentum abs hero suo auferre, propter quod vs. 22 ineptissime offensus indu-

Consequere hac. SI. Ego istum onerem? PS. One-
rabis, scio. SI. Quid ego huic homini faciam?
Satin' ultro et argentum aufert, et me irridet? PS.
Vae victis! SI. Vorte ergo humerum.
Hem! hoc ego nunquam ratus sum, fore me ut
tibi fierem supplex.

18. *consequere.* SIM. *at e. i. o.* 19. *statim u. e. a. auferet — vae mihi.*

citur. Ballioni denique nulla potestas in Pseudoli tergum, quod vs. 26 legitur.

Plura sic deinceps scenae constitutioni, sicut vulgo fertur, objici possunt. Haec vero sufficiunt, opinor, ut statuere liceat, perperam lenoni Simonis partes esse tributas.

Vs. 18. *ego istum onerem?* Cd. Acad. auctoritatem sequitur Steph. — *quid ego huic homini faciam:* dubius haeret Simo, utrum morem gerat servo, atque argenti spem servet, an saeviter audacem nequitiam excipiat: cf. vs. 3. Alterum insignis erga herum impudentiae exemplum est in Cas. 3. 6.

Vs. 19. *satin':* ab hac vocula haud raro apud Plautum ordiuntur illi, qui contumeliam aegre ferentes, tacite quaedam proferunt indignatione accensi: cf. Most. 1. 1. 73; Mil. 2. 6. 1. alibi: signo admirationis adposito, a locis illis optime abesset: cf. Trin. 4. 3. 6. Hunc locum sic vertas: intolerandum! ultro delatum argentum aufert, accipit, et me irridet! Ad quod Pseudolus *vae victis!* exclamat; victos queri non oportet, immisericorditer secum agi.

Vs. 20. *fore, me ut:* Steph. omittit *me.*

Heu heu heu! PS. Desine. SI. Doleo. PS. Ni doleres tu, ego dolerem.
SI. Quid hoc? auferrene, Pseudole, abs tuo hero? PS. Lubentissumo corde atque animo.
SI. Non audes, quaeso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?
PS. Novi, me dices avidum esse: nam hinc nunquam eris nummo divitior:
Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie effecissem.
SI. Erit ubi te ulciscar, si vivo. PS. Quid minitare? habeo tergum.
SI. Age sane. PS. Igitur redi. SI. Quid redeam? PS. Redi modo, non eris deceptus.
SI. Redeo. PS. Simul mecum potatum. SI. Egone eam? PS. Fac quod te jubeo.

22. *auferre uno Psudolo.* 23. *hic argenti.* 24. *non me dicis a. e. hominem.* BALL. *nam h. n.*
25. *miseret.* 28. *i simul m. p.*

Vs. 22. Hunc versum melius sic distingui puto:
Quid? hoc auferrene, Pseudole, abs tuo hero?
scil. *paras* vel *vis.* Sic saepissime orationibus animi affecti verbum deficit: cf. Voss. de Constr. c. 19. Frustra nonnulli mutare aggressi sunt.

Vs. 23. *hinc argenti:* ex Acid. conjectura: libri omnes *hic*: *hinc argenti* est argenti mei, quod a me accepisti: sic vs. sq. et 29.

Vs. 24. *novi, me dices:* sic Acid. contra librorum auctoritatem, qui ad unum omnes: *non me dicis.*

Vs. 28. *simul mecum:* concinnius est, quod in

Si is, aut dimidium, aut plus etiam faxo hinc feres. SI. Eo, duc me quo vis. PS. Quid nunc?
30. Nunquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? SI. Nihil profecto.
PS. I hac. SI. Te sequor: quin vocas spectatores simul? PS. Hercle me isti
Haud solent vocare, neque ergo ego istos. Verum si voltis applaudere
Atque approbare hunc gregem et fabulam, in crastinum vos vocabo.

solo Cd. Acad., *i simul mecum*. Acidalio jam suboluerat.

Vs. 31. *i hac: hac* fere apud Plautum valet *mecum*, hac eadem via, qua ego: exempla in promtu sunt.

THESES.

I.

Summum Platonis consilium in condendis libris de Rep. hoc fuisse videtur, ut proponeret imaginem perfectae et consummatae virtutis humanae, qualis tum in ipsis hominum singulorum animis, tum in civili societate inesse deberet, ejusque vim et praestantiam ostenderet.

II.

Cicero libris de philosophia scribendis, magis hoc spectavit, ut eam omnem Latinis literis illustraret, quam ut sententiam suam explicaret.

III.

Nihil afferri potest, unde colligatur, Ciceronem male voluisse Hortensio, aut quidquam sinistrae de eo suspicionis concepisse, praeterquam in exsilio.

IV.

Falluntur, qui prooemium operis Herodotei ab alio confectum esse existimant.

V.

In Cicerone vix excusandum existimo, quod Gabinii et Vatinii defensionem susceperit.

VI.

Pompejus excusandus, quod Pharsali cum Caesare armis expertus sit.

VII.

Perperam faciunt, qui Nep. Att. 18 *ordinavit* pro *ornavit* commendare conantur.

VIII.

Arist. Avib. 815 Kusteri χαμεύνην anteponendum judico.

IX.

Male illi, qui codicum Mss. divisionem in genera et familias cavillantur.

X.

Parum idoneis rationibus nonnulli probare stu-

dent, Orat. de Pace a Demosthene non habitam esse.

XI.

Quicumque epistolas Ciceronis edidit, ejus memoriae non consuluit.

XII.

Arabes bibliothecam in Serapeo non combussisse credo.

XIII.

Vulgus ineptus est pulcri verique judex.

XIV.

Virg. Aen. XII. 727 *labor* non *Jovis* est, sed *lancis*.





